

**CLEMENTI VII PONTIFICI MAXIMO ACTIUS SYNCERUS**

P\_1A v.1 Magne parens custosque hominum, cui jus datur uni  
 2 claudere caelestes et reserare fores,  
 3 occurrent siqua in nostris male firma libellis,  
 4 delet errores aequa litura meos :  
 5 imperiis, venerande, tuis submittimus illos,  
 6 nam sine te recta non licet ire via.  
 7 Ipse manu sacrisque potens Podalirius herbis  
 8 ulcera Paeonia nostra levabis ope,  
 9 quippe mihi toto nullus te praeter in orbe  
 10 triste salutifera leniet arte malum.  
 11 Rarus honos summo se praeside posse tueri,  
 12 rarior a summo praeside posse legi.

**LIBER I**

P\_1B v.1 Virginei partus magnoque aequaeva parenti  
 2 progenies, superas caeli quae missa per auras  
 3 antiquam generis labem mortalibus aegris  
 4 abluit obstructique viam patefecit Olympi,  
 5 sit mihi, caelicolae, primus labor, hoc mihi primum  
 6 surgat opus: vos auditas ab origine causas  
 7 et tanti seriem, si fas, evolvite facti.  
 8 Nec minus, o Musae, vatium decus, hic ego vestros  
 9 optarim fontes, vestras nemora ardua rupes,  
 10 quandoquidem genus e caelo deducitis et vos  
 11 Virginitas sanctaeque juvat reverentia famae :  
 12 vos igitur, seu cura poli seu virginis hujus  
 13 tangit honos, monstrate viam, qua nubila vincam,  
 14 et mecum immensi portas recludite caeli ;  
 15 magna quidem, magna, Aonides, sed debita posco,  
 16 nec vobis ignota : etenim potuistis et antrum  
 17 aspicere et choreas, nec vos orientia caelo  
 18 signa nec Eoos reges latuisse putandum est.  
 19 Tuque adeo, spes fida hominum, spes fida deorum.  
 20 Alma parens, quam mille acies quaeque aetheris alti  
 21 militia est, totidem currus, tot signa tubaeque,  
 22 tot litui comitantur ovantique agmina gyro

23 adglomerant : niveis tibi si sollemnia templis  
 24 certa damus, si mansuras tibi ponimus aras  
 25 exciso in scopulo, fluctus unde aurea canos  
 26 despiciens celso se culmine Mergilline  
 27 attollit nautisque procul venientibus offert,  
 28 si laudes de more tuas, si sacra diemque  
 29 ac coetus late insignes ritusque dicamus,  
 30 annua felicis colimus dum gaudia partus :  
 31 tu vatem ignarumque viae insuetumque labori,  
 32 Diva, mone, et pavidis jam laeta adlabere coeptis.  
 33 Viderat aetherea superum regnator ab arce  
 34 undique collectas vectari in Tartara praedas  
 35 Tisiphonemque imo conantem cuncta profundo  
 36 vertere et immanes stimulantem ad dira sorores,  
 37 nec jam homini prodesse alto quod semina caelo  
 38 duceret aut varios animum excoluisset ad usus :  
 39 tantum letiferae poterant contagia culpae !  
 40 Tum pectus pater aeterno succensus amore  
 41 sic secum : "Ecquis erit finis ? Tantisne parentum  
 42 prisca luent poenis seri commissa nepotes,  
 43 ut quos victuros semper superisque crearam  
 44 pene pares, tristi patiar succumbere leto  
 45 informesque domos obscuraque regna subire ?  
 46 Non ita, sed divum potius revocentur ad oras,  
 47 ut decet, et manuum poscunt opera alta mearum,  
 48 desertosque foros vacuique sedilia caeli  
 49 actutum complere parent, legio unde nefandis  
 50 acta odiis trepidas ruit exturbata per auras ;  
 51 cumque caput fuerit tantorumque una malorum  
 52 femina principium lacrimasque et funera terris  
 53 intulerit, nunc auxilium ferat ipsa modumque  
 54 qua licet afflictis imponat femina rebus".  
 55 Haec ait, et celerem stellata in veste ministrum  
 56 qui castae divina ferat mandata puellae,  
 57 alloquitur, facie insignem et fulgentibus alis :  
 58 "Te, quem certa vocant magnarum exordia rerum,  
 59 fide vigil, pars militiae fortissima nostrae,  
 60 te decet ire novumque in saecula jungere foedus :  
 61 nunc animum huc adverte atque haec sub pectore serva.  
 62 Est urbes Phoenicum inter lateque fluentem  
 63 Jordanem regio nostris sat cognita sacris :  
 64 Judaeam appellant armisque et lege potentem.  
 65 Hic claris exorta atavis, vatumque ducumque  
 66 antiquum genus et dignis licet aucta hymenaeis,  
 67 pectoris inlaesum virgo mihi casta pudorem  
 68 servat adhuc, nullos non servatura per annos,  
 69 mirus amor, seniumque sui venerata mariti  
 70 exiguis degit thalamis et paupere tecto,  
 71 digna polo regnare altoque effulgere divum  
 72 concilio et nostros aeternum habitare penates.  
 73 Hanc mihi virginibus jam pridem ex omnibus unam  
 74 delegi prudensque animo interiore locavi,  
 75 ut foret intacta sanctum quae numen in alvo  
 76 conciperet ferretque pios sine semine partus.  
 77 Ergo age, nubivagos molire per aera gressus,  
 78 deveniensque locum, castas haec jussus ad aures  
 79 effare et pulchris cunctantem hortatibus imple,  
 80 quandoquidem genus e Stygiis mortale tenebris

81 eripere est animus saevosque arcere labores".  
 82 Dixerat. Ille altum Zephyris per inane vocatis  
 83 carpit iter, scindit nebulas atque aera tranat,  
 84 ima petens pronusque leves vix commovet alas.  
 85 Qualis, ubi ex alto notis Maeandria ripis  
 86 prospexit vada seu placidi stagna ampla Caystri,  
 87 praecipitem sese candenti corpore cycnus  
 88 mittit agens, jamque implumis segnisque videtur  
 89 ipse sibi, donec tandem potiatur amatis  
 90 victor aquis : sic ille auras nubesque secabat.  
 91 Ast ubi palmiferae tractu stetit altus Idumes,  
 92 reginam haud humiles volventem pectore curas  
 93 aspicit ; atque illi veteres de more Sibyllae  
 94 in manibus, tum siqua aevo reseranda nepotum  
 95 fatidici casto cecinerunt pectore vates.  
 96 Ipsam autem securam animi laetamque videres  
 97 autorem sperare suum : nanque affore tempus,  
 98 quo sacer aethereis delapsus spiritus astris  
 99 incorrupta piae compleret viscera matris,  
 100 audierat. Pro quanta alti reverentia caeli  
 101 virgineo in vultu est ! Oculos dejecta modestos  
 102 suspirat matremque dei venientis adorat,  
 103 felicemque illam humana nec lege creatam  
 104 saepe vocat, nec dum ipsa suos jam sentit honores,  
 105 cum subito ex alto juvenis demissus Olympo  
 106 purpureos reteggit vultus, numenque professus  
 107 incessuque habituque, ingentes explicat alas  
 108 ac tectis late insuetum diffundit odorem.  
 109 Mox prior haec : "Oculis salve lux debita nostris,  
 110 jam pridem notum caelo jubar, optima virgo,  
 111 cui sese tot dona, tot explicuere merenti  
 112 divitiae superum, quicquid rectique probique  
 113 aeterna de mente fluit, purissima quicquid  
 114 ad terras summo veniens sapientia caelo  
 115 fert secum et plenis exundans gratia rivis.  
 116 Te genitor stabili firmam sibi lege sacra vit,  
 117 perpetuos genitor cursus qui dirigit astris,  
 118 mansuramque tuo fixit sub pectore sedem ;  
 119 idcirco coetus inter veneranda pudicos  
 120 una es, quam latis caeli in regionibus olim  
 121 tot divum celebrent voces. Pro gaudia terris  
 122 quanta dabis, quantis hominum succurrere votis  
 123 incipies ! " Stupuit confestim exterrita virgo,  
 124 demisitque oculos totosque expalluit artus :  
 125 non secus ac conchis siquando intenta legendis  
 126 seu Micone parva scopulis seu forte Seriphi  
 127 nuda pedem virgo, laetae nova gloria matris,  
 128 veliferam advertit vicina ad litora puppim  
 129 adventare, timet, nec jam subducere vestem  
 130 audet nec tuto ad socias se reddere cursu,  
 131 sed trepidans silet obtutuque immobilis haeret ;  
 132 illa Arabum merces et fortunata Canopi  
 133 dona ferens, nullis bellum mortalibus infert,  
 134 sed pelago innocuis circum nitet armamentis.  
 135 Tum rutilus caeli alipotens, cui lactea fandi  
 136 copia divinique fluunt e pectore rores  
 137 ambrosiae, quibus ille acres mulcere procellas  
 138 possit et iratos pelago depellere ventos :

139 "Exue, dia, metus animo, paritura verendum  
 140 caelitibus numen sperataque gaudia terris  
 141 aeternamque datura venis per saecula pacem.  
 142 Haec ego siderea missus tibi nuntius arce,  
 143 sublimis celeres vexit quem penna per auras,  
 144 vaticinor, non insidias, non nectere fraudes  
 145 edoctus : longe a nostris fraus exulat oris.  
 146 Quippe tui magnum magna incrementa per orbem  
 147 ipsa olim partus, virgo, sobolisque beatæ  
 148 aspicias : vincet proavos proavitaque longo  
 149 extendet jura imperio populisque vocatis  
 150 ad solium late ingentes moderabitur urbes,  
 151 nec sceptri jam finis erit nec terminus aevi ;  
 152 quin justis paulatim animis pulcherrima surget  
 153 religio : non monstra, piis sed numina templis  
 154 placabunt castae diris sine caedibus arae".  
 155 Dixerat. Illa, animum sedato pectore firmans,  
 156 substitit, et placido breviter sic ore locuta est :  
 157 "Conceptus ne mihi tandem partusque futuros,  
 158 sancte, refers ? Me ne attactus perferre viriles  
 159 posse putas, cui vel nitenti matris ab alvo  
 160 protinus inconcussum et ineluctabile votum  
 161 virginitas fuit una, nec est cur solvere amatae  
 162 jura pudicitiae cupiam aut haec foedera rumpam ? "  
 163 "Immo istas (quod tu minime jam rere) per aures"  
 164 excipit interpretes "fecundam spiritus alvum  
 165 influet implebitque potenti viscera partu,  
 166 flammifero veniens caelo atque micantibus astris.  
 167 At tu, virgineum mirata tumescere ventrem,  
 168 haerebis pavitans ; demum, formidine pulsa,  
 169 gaudia servati capies inopina pudoris.  
 170 Neve haec vana putes dictis aut territa nostris  
 171 indubites, serae dudum concessa senectae  
 172 dona oculos pone ante tuos ; nam sanguine avito  
 173 juncta tibi mulier (sterilis licet illa gravique  
 174 pressa aevo) haud quaquam speratum hoc tempore pignus  
 175 fert utero et felix sexto sub mense laborat :  
 176 usque adeo magno nil non superabile caelo est ! "  
 177 His dictis, regina oculos ad sidera tollens  
 178 caelestumque domos superas atque aurea tecta,  
 179 annuit et tales emisit pectore voces :  
 180 "Jam jam vince, fides, vince, obsequiosa voluntas !  
 181 En adsum : accipio venerans tua jussa tuumque  
 182 dulce sacrum, pater omnipotens ; nec fallere vestrum est,  
 183 caelicolae : nosco crines, nosco ora manusque  
 184 verbaque et aligerum caeli haud variantis alumnum".  
 185 Tantum effata, repente nova micuisse penates  
 186 luce videt : nitor ecce domum complebat ; ibi illa,  
 187 ardentum haud patiens radiorum ignisque corusci,  
 188 extimuit magis. At venter (mirabile dictu !  
 189 non ignota cano) sine vi, sine labe pudoris,  
 190 arcano intumuit verbo : vigor actus ab alto  
 191 irradians, vigor omnipotens, vigor omnia complens  
 192 descendit - deus ille, deus ! - Totosque per artus  
 193 dat sese miscetque utero. Quo tacta repente  
 194 viscera contremuere ; silet natura pavetque  
 195 attonitae similis, confusaque turbine rerum  
 196 insolito occultas conatur quaerere causas,

197 sed longe vires alias majoraque sentit  
 198 numina : succutitur tellus laevumque sereno  
 199 intonuit caelo rerum cui summa potestas,  
 200 adventum nati genitor testatus, ut omnes  
 201 audirent late populi, quos maximus ambit  
 202 Oceanus Tethysque et raucisona Amphitrite.  
 203 Hos inter medios caeli terraeque fragores,  
 204 aequatis properans volucer pulcherrimus alis  
 205 omnia dum trepidant, discesserat altaque nabat  
 206 per loca, cum virgo celsis in nubibus illum  
 207 alternantem humeros videt atque immensa secantem  
 208 ventorum spatia et jam versicolore per auras  
 209 fulgentem pluma ac caeli convexa petentem.  
 210 Quem demum tali aspectans sermone secuta est :  
 211 "Magne ales, celsi decus aetheris, invia rerum  
 212 qui penetras longaeque et nubila linqvis et Euros  
 213 antevolans : laeto seu te felicia tractu  
 214 sidera quaeque suos volvuntur signa per orbis  
 215 exspectant redeuntem, alti seu certa reposit  
 216 crystalli domus et vitrei plaga lucida regni,  
 217 seu propiora vocant supremo tecta Tonanti,  
 218 qua patet in summum regio flammantis Olympi  
 219 teque amor et liquidis flagrans alit ignibus aura :  
 220 i, precor, i, nostrum testis defende pudorem".  
 221 Nec plura his. Tum vero aciem deflectit et omnes,  
 222 haud mora, sollicito percurrit lumine montes  
 223 agnatamque animo conceptaque pignora versat,  
 224 multa putans serumque uteri miratur honorem.  
 225 Interea Manes descendit Fama sub imos  
 226 pallentesque domos veris rumoribus implet :  
 227 optatum adventare diem, quo tristia linqvant  
 228 Tartara et evictis fugiant Acheronta tenebris,  
 229 immanemque ululatum et non laetabile murmur  
 230 tergemini canis, adverso qui carceris antro  
 231 excubat insomnis semper rictuque trifauci  
 232 horrendum, stimulante fame, sub nocte profunda  
 233 personat et morsu venientes appetit umbras.  
 234 Tum vero heroes laetati animaeque piorum  
 235 ad caelum erectas coeperunt tendere palmas ;  
 236 atque hic insignis funda citharaque decorus,  
 237 insignis sceptro senior, per opaca locorum  
 238 dum graditur nectitque sacros diademate crines,  
 239 dum legit effoetos Lethaeo in gramine flores,  
 240 qua tacitae labuntur aquae mutaeque volucres  
 241 ducunt per steriles aeterna silentia ramos,  
 242 attonita subitos concepit mente furores  
 243 divinamque animam et consueto numine plenus,  
 244 intorquens oculos venientia fata recenset :  
 245 "Nascere, magne puer, nostros quem solvere nexus  
 246 et tantos genitor voluit perferre labores ;  
 247 magne puer, cui se haec tandem spolianda reservant  
 248 regna, tot heu miseris hominum ditata ruinis,  
 249 nascere, venturum si te mortalibus olim  
 250 pectore veridico promisimus, igneus ut nos  
 251 viribus afflatos caelestibus ardor agebat  
 252 insinuans, si sacra peregrimus et tua late  
 253 jussa per immensum fama vulgavimus orbem.  
 254 En ridet pax alma tibi : simul ecce potentes,

255 impulsu caelo divisque auctoribus acti,  
 256 orbe alio properant reges. Salvete, beati  
 257 Aethiopes, hominum sanctum genus, astra secuti  
 258 scilicet huc vestris affertis munera regnis.  
 259 Accipe dona, puer, tuque, o sanctissima mater,  
 260 sume animos : jam te populique ducesque frequentant  
 261 litore ab extremo et odoriferis Nabathaeis.  
 262 Ille autem aurata fulgens in veste sacerdos  
 263 jam canus, jam maturo venerabilis aevo,  
 264 quid sibi vult, sacras puerum qui sistit ad aras,  
 265 sic venerans laetoque inspectans aethera vultu ?  
 266 Seque dehinc facili clausurum lumina fato  
 267 exclamat, quod speratum per saecula munus  
 268 promissamque diu pacem certamque salutem  
 269 terrarum exorta liceat sibi luce tueri  
 270 optanti seniumque ideo Parcasque trahenti.  
 271 Sed quid ego, heu, dira conspersos caede penates  
 272 infantum et subito currentes sanguine rivis  
 273 aspicio tristisque meas vagitus ad aures  
 274 fertur ? Io, scelus est partus jugulare recentes !  
 275 Crudelis, quid agis ? Nihil hi meruere neque illum  
 276 quem petis insano dabitur tibi perdere ferro.  
 277 Nunc nunc, o matres, scelerata abscedite terra,  
 278 dum licet, inque sinu pueros abscondite vestros,  
 279 nam ferus hostis adest ; propera jam, regia virgo,  
 280 inque Pharaetonias transfer tua pignora terras :  
 281 admonet hoc magnum genitor qui temperat orbem ;  
 282 tuta domus tutique illic tibi, dia, recessus.  
 283 Verum ubi bisseas hyemes bisseaque nati  
 284 solstitia et tantos superaveris anxia casus,  
 285 ingentes imo duces de pectore questus  
 286 aureaque assiduis pulsabis sidera votis.  
 287 Nam puerum, quamvis per compita saepe vocatum,  
 288 saepe exspectatum consuetae ad gaudia mensae,  
 289 perquires nequicquam amens, nec cara petentem  
 290 oscula nec sera redeuntem nocte videbis.  
 291 Tresque illum totos maerenti pectore soles  
 292 et totidem trepidas somni sine munere noctes  
 293 omnia lustrantes, questu omnia confundentes,  
 294 flebitis indigno percussi corda dolore  
 295 tuque senexque tuus ; quarto sed Lucifer ortu  
 296 purpureos tremulo cum tollet ab aequore vultus,  
 297 inventum dabit et quaerentibus offeret ultro.  
 298 O quas tunc lacrimas, o quae tunc oscula, mater,  
 299 quos dabis amplexus, misto inter gaudia fletu,  
 300 cum natum ante aras patris et delubra sedentem  
 301 mulcentemque senes dictis animosque trahentem  
 302 aspicias gavisa, ipso admirante senatu  
 303 primitias pueri ingentes, nec inane sagacis  
 304 pectoris indicium nataeque ad grandia mentis !  
 305 Tu vero quid in arma ruis, scelerata juvenis ?  
 306 Quid galeas ensesque virum et fulgentia cerno  
 307 agmina scutatasque procul sub nocte cohortes  
 308 obscura et crebris radiantes ignibus hastas ?  
 309 Tot ne unum telis petitur caput ? Heu furor, heu mens  
 310 caeca hominum semperque odiis accincta nefandis !  
 311 Jamque oleas montemque sacrum circumque supraque  
 312 cinxere et longa lucum obsedere corona.

313 Quo feror ? Ecce trahunt manibus post terga revinctis  
 314 insontem, modo quem latas mira illa per urbes  
 315 edentem patrisque palam praecepta docentem  
 316 attoniti stupuere, illum regemque deumque  
 317 humanaeque ducem vitae fontemque salutis  
 318 haud veriti, populo circum plaudente, fateri.  
 319 Heu facinus ! Mortem ne etiam et crudele minantur  
 320 supplicium ? Saevos stringunt in vulnere fasces  
 321 horrentesque parant paliuro intexere dumos,  
 322 tormenti genus, et capiti premere inde coronam  
 323 vulnificam : viden alternos ut arundinis ictus  
 324 incutiunt geminantque truci convicia lingua ?  
 325 Parte alia ingentes video de stirpibus imis  
 326 everti palmas, altas ad sidera palmas,  
 327 infelix opus, unde hominum lux illa decorque  
 328 pendeat. Ah, trepidis dirum et miserabile terris,  
 329 cum patri aethereo moriens liventia pandet  
 330 brachia turpatosque atra de morte capillos  
 331 oraue demissosque oculos frontemque cruore  
 332 jam madidam et lato patefactum pectus hiatu !  
 333 At mater, non jam mater sed flentis et orbae  
 334 infelix simulacrum, aegra ac sine viribus umbra,  
 335 ante crucem demissa genas, effusa capillum,  
 336 stat lacrimans tristisque irrorat pectora fletu.  
 337 Ac si jam comperta mihi licet ore profari  
 338 omnia, defessi spectans morientia nati  
 339 lumina, crudeles terras, crudelia dicit  
 340 sidera, crudelem se se, quod talia cernat  
 341 vulnera, saepe vocat ; tum luctisono ululatu  
 342 cuncta replens, singultanti sic incipit ore,  
 343 incipit et duro figit simul oscula ligno,  
 344 exclamans : "Quis me miseram, quis culmine tanto  
 345 dejectam subitis involvit, nate, procellis ?  
 346 Nate, patris vires, sanguis meus, unde repente  
 347 haec fera tempestas ? Quis te mihi fluctus ademit ?  
 348 Quae manus indignos foedavit sanguine vultus ?  
 349 Cui tantum in superos licuit ? Bella impia caelo  
 350 quis parat ? Hunc ego te post tot male tuta labores  
 351 postque tot infelix elapsae incommoda vitae  
 352 aspicio ? Tu ne illa tuae lux unica matris,  
 353 Tu ne animae pax et requies spesque ultima nostrae  
 354 sic raperis ? Sic me solam exanimemque relinquis ?  
 355 O dolor, extincto jam te pro fratre sorores,  
 356 pro natis toties exoravere parentes :  
 357 ast ego pro nato, pro te dominoque deoque  
 358 quem misera exorem ? Quo tristia pectora vertam ?  
 359 Cui querar ? O tandem dirae me perditae dextrae,  
 360 me potius, siqua est pietas, immanibus armis  
 361 obruite, in me omnes effundite pectoris iras !  
 362 Vel tu (si tanti est hominum genus) eripe matrem  
 363 quae rogat et Stygias tecum duc, nate, sub umbras ;  
 364 ipsa ego te per dura locorum inamoenaque vivis  
 365 regna sequar : liceat rumpentem cernere portas  
 366 aeratas, liceat pulchro sudore madentem  
 367 eversorem Erebi materna abstergere dextra".  
 368 Hos illa et plures fundet de pectore questus.  
 369 Quod scelus Eois ut primum cernet ab undis  
 370 sol, indignantes retro convertere currus

371 optabit frustra que suis luctatus habenis,  
 372 quod poterit tandem, auratos ferrugine crines  
 373 inficiet maestamque diu sine lumine frontem  
 374 ostendet terris, ut qui jam ploret ademptum  
 375 auctorem regemque suum ; quin ipsa nigranti  
 376 fratris ab ore timens et tanto concita casu  
 377 Cynthia caeruleo vultus obnubet amictu  
 378 avertetque oculos lacrimasque effundet inanes.  
 379 At contra horrisono tellus concussa tremore  
 380 cum gemitu fremet et ruptis excita sepulcris  
 381 emittet simulacra. Quid, o, quid abire paratis,  
 382 illustres animae ? Non omnibus haec data rerum  
 383 conditio : paucis remeare ad lumina vitae  
 384 concessum ; sed tempus erit cum Martia rauco  
 385 mugitu caelum quatiet tuba cumque repente  
 386 corpora per terras omnes late omnia surgent.  
 387 Nunc autem sat Tartarei si claustra tyranni  
 388 effringat rex ille et caligantia pandat  
 389 atria : diffugiant immisso lumine dirae  
 390 Eumenidum facies, jactis in terga colubris,  
 391 quas atro vix in limo Phlegethontis adustum  
 392 accipiat nemus et fumanti condat in ulva ;  
 393 tum variae pestes et monstra horrentia Ditis  
 394 ima petant, trepident Briareia turba Cerastae  
 395 semiferumque genus Centauri et Gorgones atrae  
 396 Scyllaeque Sphingesque ardentisque ora Chimaerae  
 397 atque Hydrae atque canes et terribiles Harpyiae ;  
 398 ipse catenato fessus per Tartara collo  
 399 ducetur Pluton, tristi quem murmure circum  
 400 Inferni fractis maerebunt cornibus amnes.  
 401 At nos, virginea praecinctorum tempora lauru,  
 402 signa per extentos caeli victricia campos  
 403 tollemus laetoque ducem clamore sequemur :  
 404 "Victor, io ; bellator, io : tu regna profunda,  
 405 tu Manes Erebumque potestatesque coerces  
 406 aérias letumque tuo sub numine torques".  
 407 Ille alto temone sedens levibusque quadrigis  
 408 lora dabit volucresque reget placido ore jugales,  
 409 non jam cornipedum ductos de semine equorum  
 410 nec qui consuetas carpant praesepibus herbas.  
 411 Primus enim valido subnixus eburnea collo  
 412 fert juga formosi pecoris custodia taurus,  
 413 stellatus minio taurus, cui cornua fronti  
 414 aurea et auratis horrent palearia setis,  
 415 perque pedes bifidae radiant nova sidera gemmae ;  
 416 torva bovi facies, sed qua non altera caelo  
 417 dignior imbriferum quae cornibus inchoet annum,  
 418 nec quae tam claris mugitibus astra lacessat.  
 419 Et juxta nemorum terror rexque ipse ferarum  
 420 magnanimus nitet ore leo, quem fusa per armos  
 421 investit juba, pectoribus generosa superbit  
 422 majestas, non jam ut caedes aut proelia saevus  
 423 appetat (innocuis armatur dentibus ora  
 424 grataque tranquillo ridet clementia vultu),  
 425 sed caelo ut spatietur et alta ad sidera tendat.  
 426 Hos post insequitur pulchros pennata per artus  
 427 alituum regina, sacrae cui vertice plumae  
 428 assurgunt flavoque caput diademate fulget ;



429 ipsa ingens alis, ingentis fulminis instar,  
 430 supra hominum tecta ac montes supraque volucres  
 431 fertur et obstantes cursu petit obvia nubes.  
 432 Ultimus humana sociat cervice laborem  
 433 alatus tergo juvenis, cui lutea laevo  
 434 ex humero chlamys Eois inspersa lapillis  
 435 pendet : eam variant centum longo ordine reges,  
 436 antiquum genus et Solymae primordia gentis,  
 437 ostro intertexti ; veros cognoscere vultus  
 438 est illic, veros montes et flumina credas  
 439 et vera extremo Babylon nitet aurea limbo.  
 440 Tali sidereas curru subvectus in auras,  
 441 indutos referens spoliis pallentibus axes,  
 442 perveniet, recto qua panditur orbita tractu  
 443 lactea et ad sedes ducit candentis Olympi.  
 444 Illic auratae muros mirabimur urbis  
 445 auratasque domos et gemmea tecta viasque  
 446 stelliferas vitreosque altis cum montibus amnes.  
 447 Atque ibi, seu magni celsum penetrale Tonantis  
 448 sive alios habitare lares ac tecta minorum  
 449 caelicolum dabitur, stellas numerare licebit  
 450 surgentemque diem pariter pariterque cadentem  
 451 sub pedibus spectare et longos ducere soles  
 452 longaque venturis protendere nomina saeculis".  
 453 Haec ubi dicta, patres plausu excepere frequentes  
 454 fatidicum vatem sublatumque aggere ripae  
 455 attollunt humeris laetumque per avia ducunt.  
 456 Intremuere Erebi sedes obscuraque Ditis  
 457 limina ; suspirans imo de corde Megaera  
 458 dat gemitum et torvas spectat sine mente sorores ;  
 459 tum caudam exululans sub ventre recondidit atram  
 460 Cerberus et sontes latratu terruit umbras,  
 461 commotis niger Cocytus inhorruit antris  
 462 et vaga Sisyphiis haeserunt saxa lacertis.

### LIBER I ANTIQUIOR

P\_1C v.1 Virginei partus magnoque aequaeva parenti  
 2 progenies, superas caeli quae missa per auras  
 3 antiquam sceleris labem mortalibus aegris  
 4 eripuit clausique viam patefecit Olympi,  
 5 sit mihi, caelicolae, primus labor, hoc mihi primum  
 6 surgat opus : vos et causas aperite latentes  
 7 et tanti seriem memorate ac pandite facti.  
 8 Nec minus, o Musae, vatum decus, hic ego vestros  
 9 optarim fonteis quam si pendentia Cirrhae  
 10 saxa vel Ascraeas tentem novus advena rupes,  
 11 quandoquidem genus e caelo deducitis et vos  
 12 virginitas sanctaeque juvat reverentia famae :  
 13 vos igitur, seu cura poli seu virginis hujus  
 14 tangit honos, monstrate viam, qua nubila vincam,  
 15 et mecum immensi portas recludite caeli ;  
 16 Pierides, miranda quidem sed debita posco,  
 17 nec vobis ignota : etenim vidistis et antrum  
 18 pastorum et choreas plaususque hausistis ovantes,  
 19 cum jam Parnasso procul atque Helicone relicto,

20 ferret Idumaeas animus decerpere palmas.  
 21 Tuque adeo, nova lux superum, tu gloria caeli,  
 22 Virgo, coronatis tibi si fumantia templis  
 23 thura damus, si sollemnes tibi ponimus aras  
 24 annua felicitis colimus dum gaudia partus :  
 25 tu vatem ignarumque viae insuetumque labori,  
 26 Diva, mone, et pavidis jam laeta adlabere coeptis.  
 27 Viderat aetherea superum regnator ab arce  
 28 ingentes hominum vectari in Tartara praedas  
 29 Tisiphonemque imo conantem cuncta profundo  
 30 vertere et immites stimulantem ad furta sorores,  
 31 nec jam homini prodesse alto quod semina caelo  
 32 duceret aut varios animum excoluisset ad usus :  
 33 tantum odia et primae poterant contagia culpae !  
 34 Tum pectus pater ingenti succensus amore  
 35 haec secum : "Heu sortem indignam ! Tantisne parentum  
 36 suppliciis seri expendent commissa nepotes,  
 37 ut quos victuros semper superisque crearam  
 38 jam similes, tristi patiar succumbere leto  
 39 invisasque domos obscuraque regna subire ?  
 40 Haud equidem, sed sidereas revocentur ad arces,  
 41 ut decet, et manuum poscunt opera alta mearum,  
 42 desertosque foros vacuique sedilia caeli  
 43 actutum complere parent, legio unde nefandis  
 44 acta odiis trepidas ruit exturbata per auras.  
 45 Nec mora, cum fuerit tantorum sola malorum  
 46 femina principium, reparat quoque femina damnum".  
 47 Haec ait, et celerem candenti in veste ministrum  
 48 qui castae divina ferat mandata puellae,  
 49 alloquitur, facie insignem et fulgentibus alis :  
 50 "Accipe dicta memor vigilique haec pectore serva.  
 51 Est fines Phoenicum inter lateque fluentem  
 52 Jordanem regio antiquis notissima sacris :  
 53 Judaeam appellant templisque arisque potentem.  
 54 Hic claris exorta atavis, regumque priorum  
 55 antiquum genus et paribus licet aucta hymenaeis,  
 56 pectoris intactum virgo mihi casta pudorem  
 57 servat adhuc, canique annos venerata mariti  
 58 exiguis degit thalamis et paupere tecto,  
 59 digna polo regnare domoque habitare Tonantis.  
 60 Hanc mihi virginibus jam pridem ex omnibus unam  
 61 delegi prudensque alta sub mente locavi,  
 62 ut foret aeterni sobolem quae sola Tonantis  
 63 conciperet ferretque pios non territa partus.  
 64 Ergo age, nubiferas cursum metire per auras,  
 65 deveniensque locum, castae mea jussa puellae  
 66 cuncta aperi et dulces effunde ex ore loquellas,  
 67 quandoquidem mortale genus viventibus undis  
 68 eripere est animus saevosque arcere labores".  
 69 Dixerat. Ille altum Zephyris per inane vocatis  
 70 carpit iter, scindit nebulas atque aera tranat,  
 71 ima petens pronusque leves vix commovet alas.  
 72 Qualis, ubi ex alto notis maeandria ripis  
 73 prospexit vada seu placidi stagna ampla Caystri,  
 74 praecipitem sese candenti corpore cycnus  
 75 mittit agens, jamque implumis segnisque videtur  
 76 ipse sibi, donec tandem potiatur amatis  
 77 victor aquis : sic ille auras nubesque secabat.

78 Ast ubi palmiferae e caelo stetit altus Idumes,  
79 reginam haud humiles volventem pectore curas  
80 aspicit ; atque illi veteres de more Sibyllae  
81 in manibus, tum siqua aevis miranda futuris  
82 fatidici casto cecinerunt pectore vates.  
83 Cernere erat securam animi laetamque videres  
84 auctorem sperare suum : namque affore tempus,  
85 quo sacer aethereis delapsus spiritus astris  
86 incorrupta piae compleret viscera matris,  
87 audierat. Pro quanta alti reverentia caeli  
88 virgineo in vultu est ! Oculos dejecta modestos  
89 suspirat matremque dei venientis adorat,  
90 felicemque illam felici et sidere natam  
91 saepe vocat, nec dum ipsa suos jam sentit honores,  
92 cum subito ex alto juvenis demissus Olympo  
93 purpureos reteggit vultus, numenque professus  
94 incessuque habituque, ingentes explicat alas  
95 ac tectis late aethereum diffundit odorem.  
96 Mox prior haec : "Salve, o nostris lux addita rebus,  
97 humanae egregium stirpis decus, optima virgo,  
98 longe una ante alias fortunatissima matres.  
99 Te sibi stelliferos genitor qui temperat axes  
100 mansuram stabili fatorum lege sacravit  
101 perpetuamque tuo fixit sub pectore sedem".  
102 Praeradians stupuit dictis conterrita virgo  
103 dirigitque artus totoque expalluit ore :  
104 non secus ac conchis siquando intenta legendis  
105 seu Micone parva scopulis seu forte Seriphi  
106 nuda pedem virgo, laetae nova gloria matris,  
107 advertit subitam velo remisque triremem  
108 adventare, timet, nec jam subducere vestem  
109 audet nec tuto ad socias se reddere cursu,  
110 sed trepidans silet obtutuque immobilis haeret ;  
111 illa patrem et sperata viri connubia portans,  
112 vicinam laeto terram clamore salutat  
113 ac pelago innocuis circumnitit armamentis.  
114 Tum rursus caeli cursor, cui prodiga fandi  
115 gratia divinique fluunt e pectore rivi  
116 ambrosiae quibus ille acres mulcere procellas  
117 possit et iratos pelago depellere ventos :  
118 "Excute, diva, metus animo, paritura verendum  
119 caelitibus numen sperataque numina terris  
120 aeternamque datura venis per saecula pacem.  
121 Haec ego siderea missus tibi nuntius arce,  
122 sublimis celeres vexit quem penna per auras,  
123 vaticinor, non insidias, non nectere fraudes  
124 edoctus : longe a nostris fraus exulat oris.  
125 Namque tui magnum magna incrementa per orbem  
126 ipsa olim partus, virgo, sobolisque futurae  
127 aspicias : vincet proavos proavitaque longo  
128 extendet jura imperio populisque vocatis  
129 ad solium late ingentes moderabitur urbes.  
130 Hinc hominum paulatim animis pulcherrima surget  
131 religio, monstrisque sub impacata repulsis  
132 Tartara, perpetuae fumabunt ignibus arae".  
133 Dixerat. Illa, animum praesenti numine firmans,  
134 substitit ac tales effudit pectore voces :  
135 "Conceptus ne mihi narras partusque futuros,

136 quae tactus exosa virum taedasque jugales  
137 institui castae jura intemerata juventae  
138 Aeternum servare, nec est quod crimine sacras  
139 naturae leges jurataque foedera rumpam ? "  
140 "Immo tuas (quod tu minime jam rere) per aures"  
141 excipit interpres "fecundam spiritus alvum  
142 influet implebitque potenti viscera partu,  
143 flammato veniens caelo atque micantibus astris.  
144 At tu, virgineum mirata tumescere ventrem,  
145 haerebis pavitans ; demum, formidine pulsa,  
146 gaudia servati capies inopina pudoris".  
147 His dictis, regina oculos ad sidera tollens  
148 caelestumque domos superas atque aurea tecta,  
149 annuit et placido tandem sic ore locuta est :  
150 "Quae tua magna fides, caeli facunde minister,  
151 en adsum, accipioque libens mandata Tonantis !  
152 En veneror : nosco crines, nosco ora manusque  
153 verbaque et aligerum caeli omnipotentis alumnum".  
154 Tantum effata repente altis sub nubibus illum  
155 alternantem humeros videt atque immensa secantem  
156 ventorum spatia et jam versicolore per auras  
157 fulgentem penna pictasque anteire volucres  
158 conantem ac caeli rursus convexa petentem.  
159 Quem demum tali aspectans sermone locuta est :  
160 "Sancte puer, seu te felici sidera tractu  
161 exspectant reducem, seu jam spatiosa moratur  
162 crystalli domus et vitrei plaga lucida regni,  
163 seu propiora petis supremo tecta Tonanti,  
164 qua patet immensum regio flammantis Olympi,  
165 teque amor e liquidis flagrans alit ignibus aura :  
166 i, precor, i, nostrum testis defende pudorem".  
167 Dixerat. Ecce nova micuerunt luce penates  
168 divinusque domum complevit fulgor ; ibi illa  
169 expavit magis. At venter (mirabile dictu !  
170 non ignota cano) sine vi, sine labe pudoris,  
171 arcano intumuit verbo : vigor actus ab alto  
172 vivificans, vigor omnipotens, vigor omnia complens  
173 immiscet sese membris. Quo tacta repente  
174 viscera contremuere ; silet natura pavetque  
175 attonitae similis confusaque turbine rerum  
176 insolito occultas conatur quaerere causas,  
177 sed longe vires alias majoraque sentit  
178 numina : succutitur tellus laevumque sereno  
179 intonuit caelo superum mundique repertor,  
180 adventum nati genitor testatus, ut omnes  
181 audirent late populi, quos maximus ambit  
182 Oceanus Tethysque et raucisona Amphitrite.  
183 Interea Manes descendit Fama sub imos  
184 pallentesque domos veris rumoribus implet :  
185 optatum adventare diem, quo tristia linquant  
186 Tartara et evictis fugiant Acheronta tenebris,  
187 immanemque latratum et non laetabile murmur  
188 tergemini canis, adverso qui carceris antro  
189 excubat insomnis semper rictuque trifauci  
190 horrendum, stimulante fame, sub nocte profunda  
191 personat et morsu venientes appetit umbras.  
192 Quo subito heroes laetati animaeque piorum  
193 ad caelum erectas coeperunt tollere palmas ;

194 atque aliquis senior, nigris in vallibus Orci  
 195 dum sedet albenti praecinctus tempora vitta  
 196 aut legit obtusos Lethaeo in gramine flores,  
 197 qua tacitae labuntur aquae mutaeque volucres  
 198 ducunt per steriles aeterna silentia ramos,  
 199 attonita subitos concepit mente furores  
 200 vaticinamque animam et consueto numine plenus,  
 201 intorquens oculos venientia fata resolvit :  
 202 "Nascere, magne puer, nostros exsolvere luctus  
 203 qui properas tantosque Erebi finire labores ;  
 204 magne puer, cui se tandem spolianda reservant  
 205 haec loca, tot miseris hominum ditata rapinis,  
 206 nascere, venturum si te mortalibus olim  
 207 pectore veridico promisimus et tua primi  
 208 non mentituris mandavimus orgia chartis.  
 209 En ridet pax alma tibi : simul ecce potentes  
 210 adventant Asiae reges. Salvete, beati  
 211 Aethiopes, hominum sanctum genus, astra secuti  
 212 scilicet huc vestris affertis munera regnis.  
 213 Accipe dona, puer, tuque o sanctissima mater,  
 214 sume animos : jam te populique ducesque frequentant  
 215 litore ab extremo et odoriferis Nabathaeis.  
 216 Sed quid ego, heu, plenos undanti sanguine rivos  
 217 aspicio tristisque meas vagitus ad aures  
 218 fertur ? Io, scelus est partus jugulare recentes !  
 219 Crudelis, quid agis ? Nihil hi meruere neque illum  
 220 quem petis insano dabitur tibi perdere ferro.  
 221 Nunc nunc, o matres, scelerata abscedite terra,  
 222 dum licet, inque sinu pueros abscondite vestros,  
 223 nam ferus hostis adest ; propera jam, regia virgo,  
 224 inque Pharetonias transfer tua pignora terras :  
 225 admonet hoc magnum genitor qui temperat orbem.  
 226 Verum ubi bisseos revolutis mensibus orbem  
 227 bisseasque parens nati numerabis aristas,  
 228 ingentes imo duces de pectore questus  
 229 aureaque assiduis pulsabis sidera votis.  
 230 Nam puerum, quamvis per compita saepe vocatum,  
 231 saepe exspectatum consuetae ad gaudia mensae,  
 232 perquires nequicquam amens, nec cara petentem  
 233 oscula nec sera redeuntem nocte videbis.  
 234 Tresque illum totos maerenti pectore soles  
 235 et totidem vigiles somni sine munere noctes  
 236 omnia lustrantes, fletu omnia confundentes,  
 237 flebitis indigno percussi corda dolore  
 238 tuque senexque tuus ; quarto sed Lucifer ortu  
 239 purpureos tremulo cum tollet ab aequore vultus,  
 240 inventum dabit et quaerentibus offeret ultro.  
 241 O quas tunc lacrimas, o quae tunc oscula, mater,  
 242 quos dabis amplexus, misto inter gaudia fletu,  
 243 cum puerum ante aras patris et delubra sedentem  
 244 mulcentemque senes dictis ac jura ferentem  
 245 aspicias gavisus, ipso admirante senatu  
 246 primitias aevi venturaeque indolis umbram !  
 247 Tu vero quid in arma ruis, scelerata juvenis ?  
 248 Quid galeas ensesque virum et fulgentia cerno  
 249 agmina scutatasque procul sub nocte cohortes  
 250 obscura et crebris radiantes ignibus hastas ?  
 251 Tot cuneis unum petitur caput ? Heu furor, heu mens

252 caeca hominum semper sortisque ignara futurae !  
253 Nanque oleas montemque sacrum circumque supraque  
254 cinxere et longa silvam obsedere corona.  
255 Quo feror ? Ecce trahunt manibus post terga revinctis  
256 insontem, modo quem trepidas tot signa per urbes  
257 edentem caelique palam praecepta docentem  
258 caelestum dixere patrem rerumque potentem  
259 artificemque hominum et stirpem omnipotentis Olympi.  
260 Pro facinus ! Mortem ne etiam et crudele minantur  
261 supplicium ? Saevos stringunt in vulnera fasces  
262 horrentesque parant paliuro intexere dumos,  
263 tormenti genus, et capiti premere inde coronam  
264 vulnificam longisque addunt ludibria virgis.  
265 Fallor, an ingentes video de stirpibus imis  
266 everti palmas, altas ad sidera palmas,  
267 infelix opus, unde alti regnator Olympi  
268 horrendum attonito spectaclum praebeat orbi,  
269 cum patri aethereo moriens liventia pandet  
270 brachia turpatosque atra de morte capillos  
271 oraue pallentesque genas frontemque cruore  
272 jam madidam et lato patefactum pectus hiatu ?  
273 Quod scelus Eois ut primum cernet ab undis  
274 sol, indignantes retro convertere currus  
275 optabit frustraue suis luctatus habenis,  
276 quod poterit tandem auratos fuligine crines  
277 foedabit maestamque diu sine lumine frontem  
278 ostendet terris, ut qui jam ploret ademptum  
279 auctorem regemque suum ; quin ipsa repente  
280 fratris ab ore timens et tanto concita casu  
281 Cynthia caeruleo vultus obnubet amictu  
282 avertetque oculos lacrimasque effundet inanes.  
283 Parte alia ingentes tellus tremefacta tumultus  
284 pro gemitu dabit et ruptis excita sepulcris  
285 emittet simulacra. Quid, o, quid abire paratis,  
286 illustres animae ? Non omnibus ossa reverti  
287 ad sua jam licet aut notos assumere vultus.  
288 Tempus erit cum claustra Erebi postesque superbos  
289 evertet rex ille hominum et pavefacta recludet  
290 Tartara : diffugient immisso lumine dirae  
291 Eumenidum facies, jactis in terga colubris,  
292 quas atro vix in limo phlegethontia rupes  
293 accipiet trepidas et tristi condet in ulva ;  
294 tum variae pestes et monstra horrentia Ditis  
295 ima petent ; fugient Briareia turba Cerastae  
296 semiferumque genus Centauri et Gorgones atrae  
297 Scyllaeque Sphingesque ardentisque ora Chimaerae  
298 atque Hydrae atque canes et terribiles Harpyiae ;  
299 ipse catenato maerens per Tartara collo  
300 ducetur Pluton, tristi quem murmure circum  
301 Inferni fractis lugebunt cornibus amnes.  
302 At nos, purpureis velati tempora vittis,  
303 signa triumphales circum victricia lauros  
304 tollemus laetoque ducem clamore sequemur.  
305 Ille alto temone sedens levibusque quadrigis  
306 frena dabit volucresque reget placido ore jugales,  
307 non jam cornipedum ductos de semine equorum  
308 nec qui mortales capiant praesepibus escas.  
309 Primus enim placido innitens trahit esseda collo

310 armenti decus et pastorum gloria taurus,  
 311 stellatus minio taurus, cui cornua fronti  
 312 aurea et auratis pendent palearia setis,  
 313 perque pedes bifidae radiant tamquam ungula gemmae ;  
 314 torva bovi facies, sed qua non pulchrior olim  
 315 inter Sidonias mugiverit ulla juvencas.  
 316 Et juxta nemorum terror rexque ipse ferarum  
 317 magnanimus leo, quem latos demissa per armos  
 318 addecorat juba, pectoribus generosa superbit  
 319 majestas, non jam ut caedes aut proelia saevus  
 320 appetat (innocuis armatus dentibus ora  
 321 grataque tranquillo ridet clementia vultu),  
 322 sed caelo ut spatietur et alta ad sidera tendat.  
 323 Hos post insequitur totos pennata per artus  
 324 alituum regina, sacrae cui vertice plumae  
 325 assurgunt flavoque caput diademate fulget ;  
 326 ipsa ingens alis, ingentis fulminis instar,  
 327 supra hominum tecta ac montes supraque volucres  
 328 fertur et obstantes cursu petit obvia nubes.  
 329 Ultimus humana sociat cervice laborem  
 330 alatus tergo juvenis, cui flammea laevo  
 331 ex humero chlamys Eois incensa lapillis  
 332 pendet : eam varii exornant longo ordine reges,  
 333 antiquum genus et Solymae primordia gentis,  
 334 ostro intertexti ; veros agnoscere vultus  
 335 est illic, veros montes et flumina credas  
 336 et vera extremo Babylon nitet aurea limbo.  
 337 Tali sidereas curru subvectus in auras,  
 338 indutos referens spoliis pallentibus axes,  
 339 perveniet, recto qua panditur orbita tractu  
 340 lactea et ad sedes ducit candentis Olympi.  
 341 Illic auratae divum admirabimur urbes  
 342 auratasque domos et eburnea templa viasque  
 343 stelliferas vitreosque altis cum montibus amnes.  
 344 Atque ibi, seu magni celsum penetrabile Tonantis  
 345 sive alios habitare lares ac tecta minorum  
 346 caelicolum dabitur, stellas numerare licebit  
 347 surgentemque diem pariter pariterque cadentem  
 348 sub pedibus spectare et magnos ducere soles  
 349 longaque perpetuis inscribere nomina fastis".  
 350 Haec ubi dicta, patres plausu exceperere frequentes  
 351 fatidicum vatem sublatumque aggere ripae  
 352 attollunt humeris laetumque per avia ducunt.  
 353 Intremuere Erebi sedes obscuraque Ditis  
 354 atria ; suspirans imo de corde Megaera  
 355 dat gemitum et torvas spectat sine mente sorores ;  
 356 tum caudam exululans atra inter crura remissus  
 357 Cerberus et sontes latratu terruit umbras,  
 358 commotisque niger Cocytus inhorruit undis  
 359 et vaga Sisyphiis haeserunt saxa lacertis.

## LIBER II

P\_2 v.1 Regina ut subitos imo sub pectore motus  
 2 sensit et afflatu divini numinis aucta est,  
 3 haud mora, digressu volucris suspensa ministri,  
 4 exurgit montesque procul contendit in altos  
 5 festinans : ea cura animo vel prima recursat,  
 6 matronam defessam aevo, cui nulla fuissent  
 7 dona uteri, mirum dictu, jam segnibus annis  
 8 fecundam sextique gravem sub pondere mensis  
 9 protinus affari vocemque audire loquentis  
 10 et spectare oculis sterili data pignora matri.  
 11 Ergo accincta viae, nullos studiosa paratus  
 12 induitur, nullo disponit pectora cultu,  
 13 tantum albo crines injectu vestis inumbrans :  
 14 qualis stella nitet, tardam quae circuit Arcton  
 15 hiberna sub nocte aut matutina resurgens  
 16 aurora aut ubi jam Oceano sol aureus exit.  
 17 Quaque pedes movet, hac casiam terra alma ministrat  
 18 pubentesque rosas nec jam maestos hiacynthos  
 19 narcissumque crocumque et quicquid purpureum ver  
 20 spirat hians, quicquid florum per gramina passim  
 21 suggerit, immiscens varios natura colores.  
 22 Parte alia celeres sistunt vagaflumina cursus,  
 23 exsultant vallesque cavae collesque supini  
 24 et circumstantes submitunt culmina pinus  
 25 crebraque palmiferis erumpunt germina silvis.  
 26 Omnia laetantur : cessant Eurique Notique,  
 27 cessat atrox Boreas ; tantum per florea rura  
 28 regna tenent Zephyri caelumque tepentibus auris  
 29 mulcent, quaque datur gradientem voce salutant.  
 30 Ut ventum ad sedes, vultu longaeva verendo  
 31 occurrit conjux justis atque repente  
 32 plena deo subitoque uteri concussa tumultu,  
 33 excipit amplexu venientem ac talibus infit :  
 34 "O decus, o laudis mulier dux praevia nostrae,  
 35 caelitibus sola humanum quae digna reperta es  
 36 conciliare genus coetusque attollere ad astra  
 37 femineos, gremium cujus divinus obumbrat  
 38 palmes inexhaustis terras qui compleat uvis :  
 39 quis me, quis tanto superum dignatur honore ?  
 40 Tune procul visura humiles, regina, penates  
 41 venisti ? Tune illa mei pulcherrima regis  
 42 mater ades ? Viden ut nostra puer excitus alvo,  
 43 cum mihi vix primas vocis sonus ambiat aures,  
 44 jam salit et dominum ceu praecursurus adorat ?  
 45 Felix virgo animi, felix, cui tanta mereri  
 46 credulitas dedit una : in te nam plena videbis  
 47 omnia, quae magni verax tibi dixit Olympi  
 48 aliger, arcano delapsus ab aethere cursu".  
 49 Illa sub haec : "Miranda alti quis facta Tonantis,  
 50 o mater, meritas caelo quae tollere laudes  
 51 vox queat ? Exsultant dulci mea pectora motu  
 52 auctori tantorum operum, qui me ima tenentem  
 53 indignamque humilemque suis respexit ab astris ;  
 54 munere quo gentes felix ecce una per omnes  
 55 jam dicar. Nec vana fides, ingentia quando  
 56 ipse mihi ingenti cumulavit munera dextra



57 omnipotens sanctumque ejus per saecula nomen,  
 58 et quae per magnas clementia didita terras  
 59 exundat, qua passim omnes sua jussa verentes  
 60 usque fovens nullo neglectos deserit aevo.  
 61 Tum fortem exsertans humerum dextramque coruscam  
 62 insanos longe fastus mentesque superbas  
 63 dispulit afflixitque super solioque potentes  
 64 deturbans dedit in praeceps et ad ima repressit,  
 65 extollensque humiles aliena in sede locavit,  
 66 pauperiemque famemque fugans implevit egenos  
 67 divitiis ; vacuos contra nudosque reliquit  
 68 qui nullas opibus metas posuere parandis.  
 69 Postremo sobolem (neque enim dare majus habebat),  
 70 aeternam genitor sobolem saeculisque priorem  
 71 omnibus aequalemque sibi de sanguine fidi  
 72 suscepit pueri (tantis quod honoribus unum  
 73 deerat adhuc), non ille animi morumque suorum  
 74 oblitus, quippe id meditans promiserat olim  
 75 sacrificis proavorum atavis stirpique nepotum".  
 76 Haec virgo. At senior, nullus cui vocis ademptae  
 77 usus erat, supplex nunc gressum observat euntis  
 78 virgineosque pedes tactaeque dat oscula terrae ;  
 79 nunc laetus tollit duplices ad sidera palmas,  
 80 quoque potest solo testatur gaudia nutu,  
 81 ostenditque manu vatum tot scripta priorum,  
 82 quae quis, agente deo, quondam, dum vita manebat,  
 83 edidit et populis liquit celebranda futuris :  
 84 scilicet effusum tacitis de nubibus imbrem  
 85 lanigerum in tergus germenque e stirpe vetustae  
 86 arboris exurgens incombustumque sonoro  
 87 igne rubum et priscis stellam de patribus ortam.  
 88 Quae dum cuncta gravi, venturi haud inscia, visu  
 89 percurrit relegens, alto cum corde volutat  
 90 conceptus virgo insolitos et ab aethere lapsam  
 91 progeniem pluviae in morem, quae vellere molli  
 92 excepta haud ullos sonitus nec murmura reddit,  
 93 seque rubum virgamque, alto se denique missam  
 94 sidus grande mari prorsum agnoscitque videtque :  
 95 non tamen ausa loqui tanto aut se ducere dignam  
 96 munere, sed tacito affectu tibi, maxime divum,  
 97 grates, rector, agit mentemque ad sidera tollit.  
 98 Et jam luna cavum ter luce repleverat orbem,  
 99 ter solitas de more intrarat caeca latebras,  
 100 cum virgo in patriam reditum parat, omnia quando  
 101 certa videt : subeunt dilectae grata parentis  
 102 alloquia assuetaeque piis sermonibus aedes  
 103 quaeque salutantis voces ac verba ministri  
 104 audiit et primos exceptit cella volatus,  
 105 cella choris superum lustrata et cognita caelo.  
 106 Ergo iter inceptum, caris digressa propinquis,  
 107 accelerat relegitque viam per nota locorum ;  
 108 nec mora nec requies usquam nec lumina flectit,  
 109 caelicolum quamvis sacro circumdata coetu,  
 110 donec ad optatum pervenit sedula limen ;  
 111 atque ibi, dum consueta suo cum pectore versat  
 112 gaudia, paulatim maturi tempora ventris  
 113 adventare videt : scires jam numen in illa  
 114 grande tegi ; nullos adeo sentire dolores

115 dat superum genitor nullaque ex parte gravari.  
116 Interea terra parta jam pace marique  
117 augustus pater aeratis bella impia portis  
118 clauserat et validis arctarat vincta catenis ;  
119 dumque suas regnator opes viresque potentis  
120 imperii exhaustasque armis civilibus urbes  
121 nosse cupit, magnum censeri jusserat orbem,  
122 describi populos late numerumque referri  
123 cunctorum ad se se capitum, quae maxima tellus  
124 sustinet et rapido complectitur aequore Nereus.  
125 Ergo omnes lex una movet : sua nomina mittunt  
126 qui montes, Aurora, tuos, regna illa feracis  
127 Armeniae, qui convalles atque alta Niphatae  
128 saxa tenent, longe pictis gens nota pharetris,  
129 gens fines lustrare suos non segnis et arcu,  
130 qua vagus Euphrates, qua devius exit Araxes,  
131 felices tractus et late munere divum  
132 concessos defendere agros bene olentis amomi.  
133 Censetur Tauri passim, censetur Amani  
134 incola praedatorque Cilix et Isaurica quisquis  
135 rura domat quicumque tuas, Pamphylia, silvas  
136 quique Lycaoniam, felicia jugera, quique  
137 flaventem curvis Lyciam perrumpit aratris.  
138 Jam clari bello Leleges populique propinqui  
139 jussa obeunt, gens quaeque suo dat nomina ritu :  
140 qui Ceramon bimaremque Cnidon quique alta tuentur  
141 moenia, dispositis ubi circumsepta columnis  
142 tollit se nivei moles operosa sepulcri,  
143 barbara quam rapto posuit regina marito ;  
144 et quos Maeandri toties ludente recursu  
145 unda rigat, rigat ipse suo mox amne Cayster,  
146 herboso niveos dum margine pascit olores,  
147 quosque metalliferis veniens Pactolus ab antris  
148 circuit et rutila non parciore Hermus arena ;  
149 misorum manus omnis Apollineaeque Celaenae  
150 Idaque Rhoeteaeque arces celebrataque Musis  
151 Pergama Sigeumque jugum, Priameia quondam  
152 regna armis ducibusque ducum nunc nota sepulcris,  
153 quae nauta, angustum dum praeterit Hellespontum,  
154 ostendens sociis "Hoc", inquit, "litore flentes  
155 Nereides steterant, passis cum maesta capillis  
156 ipsa suum de more Thetis clamaret Achillem".  
157 His et Bithynae classes et Pontica late  
158 accedit regio, paret scopulosa Carambis,  
159 parendi studio fervet simul alta Sinope,  
160 fervet Halys quique immensis procul amnibus auctus  
161 Cappadocum medios populos discriminat Iris,  
162 Thermodonque Halybesque attritaque saxa Prometheo.  
163 Praeterea qua se Thracum Mavortia tellus  
164 pandit et argentem Rhodope procurrit in Haemum,  
165 qua Macetum per saxa ruit torrentibus undis  
166 Axius umbrosaeque tegunt Haliachmona ripae  
167 quaque jacet diris omen Pharsalia bellis  
168 et bis Romana ferales clade Philippi :  
169 conveniunt populi certatim et jussa facessunt.  
170 Vos etiam vestros his adjunxistis alumnos,  
171 vicinae passim vacuis jam moenibus urbes,  
172 antiquae Graiorum urbes, gens optima morum

173 formatrix, clara ingeniis et fortibus ausis,  
 174 seu quae litoreos tractus montesque tenetis  
 175 seu quae per medias dispersae exsurgitis undas.  
 176 Tum latus Epiri, qua formidabile nautis  
 177 attollunt summo caput Acroceraunia caelo,  
 178 urget opus, jamque Alcinoi dat regia census,  
 179 Illyricaeque manus impacatique Liburni  
 180 litoraue Ionio passim pulsata profundo.  
 181 Nec tu, cui late imperium terraeque marisque  
 182 bellatrix peperit virtus et Martius ardor,  
 183 non populos, non ipsa tuas, terra inclyta, gentes  
 184 describis, terra una armis et foeta triumphis,  
 185 una viris longe pollens atque aemula caelo,  
 186 nubiferae quam praeruptis anfractibus Alpes  
 187 praecingunt mediamque pater secat Apenninus  
 188 et geminum rapido fluctu circumtonat aequor.  
 189 Descripsere suos, quamvis non axe sub uno,  
 190 hinc Rhenus pater indigenas, hinc latior undis  
 191 Danubius, qui silvarum per vasta volutus  
 192 pascere non populos, non lambere desinit urbes,  
 193 donec ad optatam rapido venit agmine Peucen.  
 194 Quin et proceras scrutatur Gallia silvas,  
 195 Gallia Caesareis Latio dignata triumphis,  
 196 quam Rhodanus, quam findit Arar, quam permeat ingens  
 197 Sequana piscosoque interluit amne Garumna.  
 198 Tum quas piniferis gentes praerupta Pyrene  
 199 rupibus Herculeas prospectat adusque columnas  
 200 cogit Anas, cogit ripa formosus utraque  
 201 Duria et albenti Baetis praecinctus oliva  
 202 auratamque Tagus volvens sub gurgite arenam  
 203 quique suo terras insignit nomine Iberus.  
 204 Parte alia vastas circumvocat Africa vires :  
 205 Getuli Maurique duces rimantur opaci  
 206 Atlantis nemora et dispersa mapalia silvis ;  
 207 scribitur et vacuis ut quisque inventus arenis  
 208 seu pastor seu succinctis venator in armis  
 209 observans saevos latebrosa ad tesqua leones,  
 210 Massylum quicumque domos, quicumque repostos  
 211 Hesperidum lucos munitaque montibus arva  
 212 incolit et ramis nativum decutit aurum,  
 213 et qui vertentes immania saxa juvencos  
 214 flectit arans, qua devictae Carthaginis arces  
 215 procubuere jacentque infausto in litore turres  
 216 eversae. Quantum illa metus, quantum illa laborum  
 217 urbs dedit insultans Latio et Laurentibus arvis !  
 218 Nunc passim vix reliquias, vix nomina servans,  
 219 obruitur propriis non agnoscenda ruinis :  
 220 et querimur genus infelix humana labare  
 221 membra aevo, cum regna palam moriantur et urbes !  
 222 Jamque Macas idem ardor habet ; venere volentes  
 223 Barcaei, venere suis Nasamones ab arvis,  
 224 navifragas qui per Syrtes infidamque circum  
 225 litora maerentum spoliis onerantur et altos  
 226 insiliunt nudi cumulos exstantis arenae  
 227 inque suas vertunt aliena pericula praedas.  
 228 Postremo Psylli Garamanticaque arva tenentes  
 229 quique Cyrenaeas suspendunt vomere glebas  
 230 laudatasque legunt succis praestantibus herbas

231       quique Jovis palmeta Hasbytarumque recessus,  
 232       Marmaricas qui late oras, qui pascua servant  
 233       Aegypti Meroesque, sacer quos Nilus inundat,  
 234       Nilus ab aethereo ducens cunabula caelo.  
 235       Nec minus et casta senior cum virgine custos  
 236       ibat, ut in patria nomen de more genusque  
 237       ederet et jussum non segnis penderet aurum.  
 238       Ille domum antiquam et regnata parentibus arva  
 239       invisens, secum proavos ex ordine reges  
 240       claraque facta ducum pulchramque ab origine gentem  
 241       mente recensebat tacita numerumque suorum,  
 242       quamvis tunc pauper, quamvis incognitus ipsis  
 243       agnatis, longe adveniens explere parabat.  
 244       Jam fines, Galilaea, tuos emensus et imas  
 245       Carmeli valles quaeque altus vertice opacat  
 246       rura Thabor sparsamque jugis Samaritida terram  
 247       palmiferis, Solymas a leva liquerat arces,  
 248       cum simul e tumulo muros ac tecta domorum  
 249       prospexit patriaeque agnovit moenia terrae :  
 250       continuo lacrimis urbem veneratur obortis  
 251       intenditque manus et ab imo pectore fatur :  
 252       "Bethlemae turres et non obscura meorum  
 253       regna patrum magnique olim salvete penates,  
 254       tuque o terra, parens regum visuraque regem,  
 255       cui sol et gemini famulantur cardinis axes,  
 256       salve iterum : te vana Jovis cunabula Crete  
 257       horrescet ponetque suos temeraria fastus,  
 258       moenia te Dircaea tremant ipsamque pudebit  
 259       Ortygiam geminos Latonae extollere partus.  
 260       Parva loquor : prono veniet diademate supplex  
 261       illa potens rerum terrarumque inclyta Roma  
 262       et septemgeminos submittet ad oscula montes".  
 263       Dixit et extrema movit vestigia voce  
 264       maturatque viam senior tardumque fatigat  
 265       vectorem et visas gressum molitur ad oras.  
 266       Et jam prona dies fluctus urgebat Iberos  
 267       purpureas pelago nubes aurumque relinquens,  
 268       ecce autem magnis plenam conventibus urbem  
 269       protinus, ut venere, extremo e limine portae  
 270       aspiciunt. Mixtum confluxerat undique vulgus,  
 271       turba ingens : credas longinquo ex aequore vectas  
 272       ad merces properasse aut devastantibus arva  
 273       hostibus intutum trepidos fugisse colonos.  
 274       Cernere erat perque anfractus perque arcta viarum  
 275       cuncta replese viros confusoque ordine matres,  
 276       permixtos pecori agricolas : hos jungere plaustra,  
 277       hos intendere vela, alios discumbere apertis  
 278       porticibus, resono compleri cuncta tumultu,  
 279       accensos variis lucere in partibus ignes.  
 280       Quae pater admirans, tacito dum singula visu  
 281       percurrit circumque domos et limina lustrat  
 282       nec superesse locum tecto videt, "Ibimus" inquit,  
 283       "quo deus et quo sancta vocant oracula patrum".  
 284       Est specus haud ingens parvae sub moenibus urbis,  
 285       incertum manibusne hominum genione potentis  
 286       naturae formatus, ut haec spectacula terris  
 287       praeberet tantosque diu servatus in usus  
 288       hospitio caelum acciperet, cui plurima dorso

289       incumbit rupes, pendentibus undique saxis  
 290       aspera, et exesae cingunt latera ardua cautes,  
 291       defunctis operum domus haud ingrata colonis.  
 292       Huc heros tandem, superata ambage viarum,  
 293       sic monitus, ducente deo, cum conjuge sancta  
 294       devenit multaque senex se nocte recepit.  
 295       Ac primum siccis ramalibus excitat ignem  
 296       stramineoque toro comitem locat, aegra cubantis  
 297       membra super vestem involvens ; mox alligat ipsos  
 298       permulcens jam non duros, jam sponte sequentes  
 299       quadripedes, ut forte aderat fenile saligna  
 300       suffultum crate et palmarum vimine textum.  
 301       Nunc age Castaliis quae numquam audita sub antris  
 302       Musarumve choris celebrata aut cognita Phoebos  
 303       expediam : vos secretos per devia calles,  
 304       caelicolae, vos, si merui, monstrate recessus  
 305       intactos. Ventum ad cunas et gaudia caeli  
 306       mirandosque ortus et tecta sonantia sacro  
 307       vagitu : stat ferre pedem, qua nulla priorum  
 308       obvia sint oculis vatium vestigia nostris.  
 309       Tempus erat, quo nox tardis invecta quadrigis  
 310       nondum stelliferi mediam pervenit Olympi  
 311       ad metam et tacito scintillant sidera motu,  
 312       cum silvaeque urbesque silent, cum fessa labore  
 313       accipiunt placidos mortalia pectora somnos ;  
 314       non fera, non volucris, non picto corpore serpens  
 315       dat sonitum, jamque in cineres consederat ignis  
 316       ultimus et sera perfusus membra quiete  
 317       scruposo senior caput acclinaverat antro :  
 318       ecce autem nitor ex alto novus emicat omnemque  
 319       exsuperat veniens atrae caliginis umbram  
 320       auditique chori superum et caelestia curvas  
 321       agmina pulsantum citharas ac voce canentum.  
 322       Agnovit sonitum partusque instare propinquos  
 323       haud dubiis virgo sensit laetissima signis.  
 324       Protinus erigitur stratis caeloque nitentes  
 325       attollit venerans oculos ac talia fatur :  
 326       "Omnipotens genitor, magno qui sidera nutu  
 327       aereosque regis tractus terrasque fretumque,  
 328       ecquid adest tempus, quo se sine labe serenam  
 329       efferat in lucem soboles tua ? Quo mihi tellus  
 330       rideat et teneris depingat floribus arva ?  
 331       En tibi maturos fructus, en reddimus ingens  
 332       depositum : tu, nequa pio jactura pudori  
 333       obrepat, summo defende et consule caelo.  
 334       Ergo ego te gremio reptantem et nota petentem  
 335       ubera, care puer, molli studiosa fovebo  
 336       amplexu ; tu blanda tuae dabis oscula matri  
 337       arridens colloque manum et puerilia nectes  
 338       brachia et optatam capies per membra quietem".  
 339       Sic memorat fruiturque deo comitumque micanti  
 340       agmine divinisque animum concentibus explet.  
 341       Atque olli interea, revoluto sidere, felix  
 342       hora propinquabat. Quis me rapit ? Accipe vatem,  
 343       diva, tuum ; rege, diva, tuum : feror arduus altas  
 344       in nubes, video totum descendere caelum  
 345       spectandi excitum studio ; da pandere factum  
 346       mirum, indictum, insuetum, ingens : absistite, curae

347 degeneres, dum sacra cano. Jam laeta laborum,  
348 jam non tacta metu saeculi regina futuri  
349 stabat adhuc, nihil ipsa suo cum corde caducum,  
350 nil mortale putans : illam natusque paterque  
351 quique prius quam sol caelo, quam luna niteret,  
352 spiritus obscuras ibat super igneus undas,  
353 stant circum et magnis permulcent pectora curis.  
354 Praeterea redeunt animo quaecumque verendus  
355 dixerat interpres, acti sine pondere menses  
356 servatusque pudor, clausa cum protinus alvo  
357 (o noctem superis laetam et mortalibus aegris !),  
358 sicut erat foliis stipulaque innixa rigenti,  
359 divinum, spectante polo spectantibus astris,  
360 edit onus : qualis rorem cum vere tepenti  
361 per tacitum matutinus desudat Eous  
362 et passim teretes lucent per gramina guttae ;  
363 terra madet, madet aspersa sub veste viator  
364 horridus et pluviae vim non sensisse cadentis  
365 admirans gelidas udo pede proterit herbas.  
366 Mira fides ! Puer aethereas jam lucis in auras  
367 prodierat fenoque latus male fultus agresti  
368 impulerat primis resonum vagitibus antrum.  
369 Alma parens nullos intra praecordia motus  
370 aut incursantes devexi ponderis ictus  
371 senserat ; haerebant immotis viscera claustris :  
372 haud aliter quam cum purum specularia solem  
373 admittunt ; lux ipsa quidem pertransit et omnes  
374 irrumpens laxat tenebras et discutit umbras ;  
375 illa manent inlaesa, haud ulli pervia vento,  
376 non hyemi, radiis sed tantum obnoxia Phoebi.  
377 Tunc puerum tepido genitrix involvit amictu  
378 exceptumque sinu blandeque ad pectora pressum  
379 detulit in praesepe. Hic illum mitia anhelos  
380 ore fovet jumenta. O rerum occulta potestas !  
381 Protinus agnoscens dominum procumbit humi bos  
382 cernuus, et mora nulla simul procumbit asellus  
383 submittens caput et trepidanti poplite adorat.  
384 Fortunati ambo ! Non vos aut fabula Cretae  
385 polluet antiqui referens mendacia furti  
386 Sidoniam mare per medium vexisse puellam,  
387 aut sua dum madidus celebrat portenta Cithaeron  
388 infames inter thyasos vinosaque sacra  
389 arguet obsequio senis insudasse profani ;  
390 solis quippe deum vobis et pignora caeli  
391 nosse datum, solis cunabula tanta tueri.  
392 Ergo dum refugo stabit circumdata fluctu  
393 terra parens, dum praecipiti vertigine caelum  
394 volvetur, Romana pius dum templa sacerdos  
395 rite colet, vestri semper referentur honores,  
396 semper vestra fides nostris celebrabitur aris.  
397 Quis tibi tunc animus, quae sancto in corde voluptas,  
398 o genitrix, cum muta tuis famulantia cunis  
399 ac circum de more sacros referentia ritus  
400 aspiceres domino genua inclinare potenti,  
401 et sua commotum trahere ad spectacula caelum ?  
402 Magne pater, quae tanta rudes prudentia sensus  
403 leniit ? Informi tantos quis pectore motus  
404 excivit calor et pecudum in praecordia venit,

405 ut quem non reges, non acceperere tot urbes,  
 406 non populi, quibus una aras et sacra tueri  
 407 cura fuit, jam bos torpens, jam segnis asellus  
 408 auctorem late possessoremque salutent ?  
 409 Vocibus interea sensim puerilibus heros  
 410 excitus somnum expulerat noctemque fugarat  
 411 ex oculis, jamque infantem videt et videt ipsam  
 412 majorem aspectu majori et lumine matrem  
 413 fulgentem, nec quoquam oculos aut ora moventem  
 414 sublimemque solo, superum cingente caterva  
 415 aligera : qualis nostrum cum tendit in orbem  
 416 purpureis rutilat pennis nitidissima phoenix,  
 417 quam variae circum volucres comitantur euntem ;  
 418 illa volans solem nativo provocat auro  
 419 fulva caput, caudam et roseis interlita punctis  
 420 caeruleam ; stupet ipsa cohors plausuque sonoro  
 421 per sudum strepit innumeris exercitus alis.  
 422 Miratur lucem insolitam, miratur ovantes  
 423 caelicolum cantus senior ; tum victus et amens  
 424 attonitusque animi tantisque ardoribus impar  
 425 corruit et geminas vultum demisit in ulnas,  
 426 adfususque diu telluri immobilis haesit.  
 427 Hic illum superi juxta videre jacentem,  
 428 vidit dia parens, nec longum passa seniles  
 429 obduci tenebris oculos dat surgere et aegrum  
 430 sustentare genu tremulisque insistere plantis  
 431 divinosque pati vultus superique nitorem  
 432 ignis et aethereas vibrantia lumina flammis.  
 433 Ille, ubi paulatim vires animumque resumpsit,  
 434 nodoso incumbens baculo modulantia primum  
 435 agmina reginamque deum de more salutatur ;  
 436 mox ipsum accedens praesepe ulvaeque palustri  
 437 impositum spectans dominum terraeque marisque,  
 438 (o timor, o mentis pietas !) puerilia membra  
 439 non ausus tractare manu, cunctatur. Ibi auram,  
 440 insperatam auram divino efflantem ab ore  
 441 ore trahens, subito correptus numinis haustu  
 442 afflatusque deo, sic tandem voce quietata  
 443 incipit et lacrimis oculos suffundit obortis :  
 444 "Sancte puer, non te Phariis operosa columnis  
 445 atria, non variata Phrygum velamina textu  
 446 exceperere (jaces nullo spectabilis auro),  
 447 angustum sed vix stabulum, male commoda sedes  
 448 et fragiles calami lectaeque paludibus herbae  
 449 fortuitum dant ecce torum. Laqueata tyrannos  
 450 tecta et regifico capiant aulae paratu :  
 451 te pater aeterno superum ditavit honore  
 452 illustrans, tibi siderei domus aurea caeli  
 453 plaudit inextinctosque parat natura triumphos.  
 454 Et tamen hanc sedem reges, haec undique magni  
 455 antra petent populi, longe quos caerulea Calpe  
 456 litore ab occiduo nigrisque impellet ab Indis  
 457 sol oriens, quos et Boreas et fervidus Auster  
 458 diverso inter se certantes cardine mittent.  
 459 Tu pastor, tu dispersas revocare per agros  
 460 missus oves late pectusque offerre periculis,  
 461 prodigus ah nimium vitae, per tela, per hostes  
 462 obscurum nemus irrumpens, rabida ora luporum

463 compesces saturumque gregem sub tecta reduces.  
 464 O mihi certa fides superum, decus addite terris,  
 465 nate deo, deus ipse, aeterno e lumine lumen :  
 466 te te ego, te circum genitrix laetique ministri  
 467 concinimus primique tuos celebramus honores  
 468 longaque perpetuis indicimus orgia fastis".

### LIBER III

P\_3 v.1 Auratum intera culmen bipatentis Olympi  
 2 conscendit genitor, rerum inviolata potestas,  
 3 laeta fovens tacito sub pectore. Mox jubet omnes  
 4 ad se se acciri superos, quique atria longe  
 5 observant, quique arcanis penetralibus adstant,  
 6 praeterea quos Eoos Aurora per ortus  
 7 et quos occiduae propior videt Hesperus orae ;  
 8 namque ferunt olim leges cum conderet aequas  
 9 rex superum et valido mundum suspenderet axe,  
 10 diversas statuisset domos diversaque divis  
 11 hospitia et dignos meritis tribuisse penates  
 12 ordine cuique suos : illi data tecta frequentant  
 13 armaque et aeratis affigunt nomina valvis.  
 14 Haud mora fit : celerant jussi, volat aethere toto  
 15 caelicolum glomerata manus, pars igne corusco  
 16 tota rubens, pars stelliferis innexa coronis.  
 17 Ipse sedens humeris chlamydem fulgentibus aptat  
 18 ingentem et caelum pariter terrasque tegentem,  
 19 quam quondam, ut perhibent, vigilans noctesque diesque  
 20 ipsa suo nevit rerum natura Tonanti,  
 21 adjecitque sacrae decus admirabile telae  
 22 per medium perque extremas subtegminis oras  
 23 immortale aurum intexens grandesque smaragdos.  
 24 Illic nam varia mundum distinxerat arte  
 25 gnara operum mater certisque elementa figuris  
 26 et rerum species animasque et quicquid ab alta  
 27 fundit mente pater. Generis primordia nostri  
 28 cernere erat limum informem ; jam praepete penna  
 29 deferri volucres liquidum per inane videres,  
 30 jam silvis errare feras pontumque natari  
 31 piscibus et vero credas spumescere fluctu.  
 32 Hic postquam aligeros gemmata sedilia coetus  
 33 accepere, pater solio sic inquit ab alto :  
 34 "Aetherei proceres (neque enim ignoratis et ausus  
 35 infandos dirumque acies super astra frementes),  
 36 si mecum juvat antiquos ab origine motus  
 37 inspicere et veterum pariter meminisse laborum,  
 38 quandoquidem haec vobis peperit victoria laudem,  
 39 huc animos, huc pacatas advertite mentes.  
 40 Vos, cum omne arderet caelum servilibus armis  
 41 Arctoumque furor pertenderet impius axem  
 42 scandere et in gelidos regnum transferre Triones,  
 43 fida manus mecum mansistis et ultima tandem  
 44 experti caelo victricia signa tulistis  
 45 aeternumque alta fixistis in arce trophaeum.  
 46 Quos ego pro meritis insigni munere palmae



47 donavi regnique in partem operumque recepi  
48 praecipuosque habui lectosque ad iussa ministros :  
49 usque adeo fixa antiqui stat gratia facti !  
50 Nec minus et nostras audistis saepe querelas  
51 vidistisque graves flammati pectoris aestus,  
52 tunc cum prima novas egit dementia gentes  
53 arboris auricomae caelestia carpere poma,  
54 poma gravi seros gustu laesura nepotes :  
55 munere quin superum indignas spoliastis et umbra  
56 sacrorum late nemorum assiduoque labore  
57 multastis miseras vitae et brevioribus annis.  
58 Quid repetam veteri sumptas de crimine poenas  
59 exiliumque informe Erebi tenebrasque repostas,  
60 quae tacito mecum spectastis lumine et iidem  
61 terrarum sortem maesti indoluistis acerbam ?  
62 Aut etiam ut nostri longo post tempore tandem  
63 pectoris indomitas clementia vicerit iras,  
64 visque arcana leves sensim demissa per auras  
65 fecundam intactae complerit virginis alvum ?  
66 An temere hoc nullaque actum ratione putatis ?  
67 Quippe ita mansuras decuit me ponere leges,  
68 quo terraeque polusque, homines divique vicissim  
69 foederibus starent certis et pignore tanto  
70 servarent memorem cognatae stirpis amorem.  
71 Quare agite et jam nunc humana capessite fata ;  
72 ac primum duris parvi sub cautibus antri  
73 gramineos lustrate toros, lustrate beatam  
74 pauperibus sedem calamis, cunctique recentes  
75 submissi cunas accedite, dum pia mater  
76 complexu in molli natum fovet, hubera pernox  
77 indulgens teneris pueri rorantia labris.  
78 Nec procul in stipula demisso pectore mutum  
79 procumbit pecus et domini vestigia lambens  
80 pervigilat, longos fundit dum tibia cantus.  
81 Hic faustos ortus pueri noctemque verendam  
82 discursu per inane levi passimque canoris  
83 laudibus excipite et plausu celebrate faventes  
84 omnia felicem ventura in saecula pacem  
85 certatimque renascentis cunabula mundi,  
86 victum anguem victumque anguis furiale venenum.  
87 Sic placitum, sic aversos conjungere terris  
88 caelicolas, sic ferre homines ad sidera certum est".  
89 Haec ubi dicta, novum superis inspirat amorem,  
90 quo subito veteres deponant pectoris iras,  
91 obliti scelerum patrisque exempla secuti,  
92 terrarum flagrent studio et mortalia curent.  
93 Nec mora, Laetitiam choreis tum forte vacantem  
94 advocat (haec magni motusque animosque Tonantis  
95 temperat et vultum discussa nube serenat),  
96 Laetitiam, quae caelicolum per limina semper  
97 discursat raroque imas petit hospita terras,  
98 curarumque expers lacrimasque exosa virago  
99 exultat totoque abigit suspiria caelo.  
100 Ut stetit ante patrem terrasque accedere iussa est,  
101 mobilibus pictas humeris accommodat alas  
102 lenimenque viae comites vocat. Ilicet adsunt,  
103 jucundae visu facies, Cantusque Chorique  
104 Gaudiaque Plaususque et honestis ignibus ardens

105 rectus Amor, quem nuda Fides Spesque inscia luctus  
 106 vadentem mira unanimes pietate sorores  
 107 observant ; sequitur mox inculpata Voluptas  
 108 Gratiaque et niveam suadens Concordia pacem.  
 109 Cumque propinquasset portae, quae maxima caelo  
 110 dicitur aeternumque micat radiata coruscis  
 111 astrorum signis, quando mortalibus aegris  
 112 dant nimbos aliae et damnant caligine terras,  
 113 succinctae occurrunt Horae properantibus alis,  
 114 insomnes Horae, nanque his fulgentia divum  
 115 limina et ingentis custodia credita caeli.  
 116 Protinus aeratos impulso cardine postes  
 117 cum sonitu magnoque polos quassante fragore  
 118 praepandunt obnixae humeris. Volat illa per auras  
 119 obscura sub nocte nitens ; gratantur eunti  
 120 sidera, jam festas meditatur luna choreas,  
 121 exsultant Hyades, gaudet mutata Bootes  
 122 plaustra auro totosque auro fulgere juvencos ;  
 123 tunc primum visa est miseri post fata parentis  
 124 risisse Erigone et longum posuisse dolorem,  
 125 armatoque ensis subducitur Orioni.  
 126 Ut vero umbrosis posuit vestigia silvis,  
 127 culmina conscendit pastorum, atque omnia late  
 128 perlustrans tacitis oculis loca concutit alas  
 129 applaudens, pictosque sinus sub nocte coruscans  
 130 subrisit laetum puraque in luce refulsit.  
 131 Primi illam sensere canes, sensere jacentes  
 132 haedorum passim per dura cubilia matres,  
 133 balatuque ovium valles sonuere propinquae  
 134 saxaque et attoniti caput erexere magistri.  
 135 Tunc ait : "O parvi vigiles gregis, o bona pubes  
 136 silvarum, superis gratum genus, ite, beati  
 137 pastores, ite, antra novis intendite sertis :  
 138 reginam ad cunas positumque in stramine regem  
 139 (certa fides) alti jam jam moderator Olympi  
 140 cernere dat ; properate, novique tepentia lactis  
 141 munera cumque suo date condita subere mella,  
 142 insuetum et silvis stipula deducite carmen".  
 143 Nec plura effata, in nubes taciturna recessit  
 144 et penitus nigra noctis se condidit umbra.  
 145 Olli inter sese vario sermone volutant  
 146 quid superum mandata velint, quas quaerere cunas,  
 147 quos jubeant reges, quae cingere frondibus antra.  
 148 Continuo variis innectunt tempora ramis ;  
 149 nectitur et lentiscus opacaeque arbutus umbrae  
 150 rosque maris buxusque et densa comas terebinthus,  
 151 cunctaque frondenti redimitur turba corona.  
 152 Mox silvam exquirunt omnem saltusque repostos  
 153 flammiferis lustrant taedis : ardere putares  
 154 arva procul totumque incendi lumine montem.  
 155 Tandem inter dumos fessi sub rupe cavata  
 156 speluncam aspiciunt vocemque rudentis aselli  
 157 auribus acceperere, vident ipsumque bovemque  
 158 longaevumque senem stantemque ad lumina matrem  
 159 insomnem et pressis refoventem pignus in ulnis.  
 160 Ergo insperatae gavisi munere sortis,  
 161 ocius ingentem procero stipite laurum  
 162 avulsamque solo palmam ab radicibus imis

163 attollunt humeris perque intervalla canentes  
164 cum plausu choreisque et multisono modulatu  
165 vestibuli ante aditum statuunt, omnemque coronant  
166 fronde locum, grandes oleas cedrosque comantes  
167 affigunt longisque advelant limina sertis  
168 et late Idaliam spargunt cum baccare myrtum.  
169 Quos bonus ex antro dictis ingressus amicis  
170 compellat senior placidaque haec voce profatur :  
171 "Dicite, pastores (neque enim sine numine credo  
172 tam certum tenuistis iter), cui tanta paratis  
173 munera, cui virides ramis frondentibus umbras  
174 textitis ? An ne aliquis superum patre missus ab alto  
175 has docuit sedes locaque haec accedere jussit ? "  
176 Sic memorans sese laetum venientibus offert.  
177 Illi autem : "Nova per tenebras, nova lucis imago,  
178 o genitor, media visa est modo lumina silva  
179 spargere et in nostras diffundere gaudia mentes,  
180 sive deus caelo veniens seu forte deorum  
181 nuntius, in dubio est : nos vultum habitumque loquentis  
182 vidimus et motas per noctem audivimus alas".  
183 Sic fati jungunt dextras ; mox ordine longo  
184 antrum introgressi, calathis silvestria plenis  
185 dona ferunt, matrem et laeto simul ore salutant.  
186 Tum puero adstantes Lycidas et maximus Aegon -  
187 Aegon, getulis centum cui pascua campis,  
188 centeni per rura greges Massyla vagantur :  
189 ipse caput late, qua Bagrada, qua vagus errat  
190 Triton, Cinyphiae qua devolvuntur arenae,  
191 ingens agricolis, ingens pastoribus Aegon ;  
192 at Lycidas vix urbe sua, vix colle propinquo  
193 cognitus, aequoreas carmen deflexit ad undas -  
194 et tamen hi non voce pares, non viribus aequis,  
195 inter adorantum choreas plaususque deorum,  
196 rustica septena modulantur carmina canna :  
197 "Hoc erat, alme puer, patriis quod noster in antris  
198 Tityrus attritae sprevit rude carmen avenae,  
199 et cecinit dignas Romano consule silvas.  
200 Ultima Cumaei venit jam carminis aetas,  
201 magna per exactos renovantur saecula cursus ;  
202 scilicet haec virgo, haec sunt Saturnia regna,  
203 haec nova progenies caelo descendit ab alto,  
204 progenies per quam toto gens aurea mundo  
205 surget et in mediis palmis florebit aristis.  
206 Qua duce, siqua manent sceleris vestigia nostri  
207 irrita perpetua solvent formidine terras  
208 et vetitum magni pandetur limen Olympi ;  
209 occidet et serpens, miseros quae prima parentes  
210 elusit portentificis imbuta venenis.  
211 Tune deum vitam accipies divisque videbis  
212 permistos heroas et ipse videberis illis  
213 pacatumque reges patriis virtutibus orbem ?  
214 Aspice felici diffusum lumine caelum  
215 camposque fluviosque ipsasque in montibus herbas ;  
216 aspice, venturo laetentur ut omnia saeclo.  
217 Ipsae lacte domum referent distenta capellae  
218 ubera nec magnos metuent armenta leones,  
219 agnaeque per gladios ibit secunda nocentes  
220 bisque superfusos servabit tincta rubores.

221 Interea tibi, parve puer, munuscula prima  
 222 contingent ederaeque intermixtique corymbi ;  
 223 ipsa tibi blandos fundent cunabula flores  
 224 et durae quercus sudabunt roscida mella ;  
 225 mella dabunt quercus, omnis feret omnia tellus.  
 226 At postquam firmata virum te fecerit aetas  
 227 et tua jam totum notescent facta per orbem,  
 228 alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo  
 229 delectos heroas ; erunt etiam altera bella  
 230 atque ingens Stygias ibis praedator ad undas.  
 231 Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem,  
 232 cara dei soboles, magnum caeli incrementum".  
 233 Talia dum referunt pastores, avia longe  
 234 responsant nemora et voces ad sidera jactant  
 235 intonsi montes ; ipsae per confraga rupes,  
 236 ipsa sonant arbusta : "Deus, deus ille, Menalca".  
 237 Hic subito magnum visi per inane volatus  
 238 caelestum cursusque alacres alacresque recursus,  
 239 auditaque procul voces sonitusque rotarum.  
 240 Scilicet innocuis per sudum exercitus armis  
 241 ibat ovans : divisae acies, terna agmina ternis  
 242 instructa ordinibus belli simulacra ciebant.  
 243 Ter clypeis jam cedentes invadere nubes  
 244 aspiceres, vacuas ter mittere tela per auras,  
 245 ter clamare ducem ; mox dissita cogere signa  
 246 atque unam laetae faciem praeferre phalangis ;  
 247 rursus et arios percurrere milite campos,  
 248 semotosque alios constanti incedere passu  
 249 nubila per latasque vias et jungere nexu  
 250 brachia, perpetuis quatientes motibus alas  
 251 gestantesque manu nostrae argumenta salutis :  
 252 spinasque clavosque horrenti et vimine fasces  
 253 haesuramque hastam lateri medicataque felle  
 254 pocula sublimemque crucem immanemque columnam.  
 255 Ibant et dulci mulcebant aethera cantu.  
 256 Innumeras alii laudes et magna parentis  
 257 facta canunt : ut prima novi fundaverit orbis  
 258 moenia telluremque vagis discluserit undis ;  
 259 ut passim varios caelo suspenderit ignes  
 260 lunamque stellasque ; ut magni lumina solis,  
 261 jam late extremo tenebris oriente fugatis,  
 262 protulerit. "Tu belligeras, metuende, cohortes  
 263 dejicis exturbasque polo ; tu fulmine quassas  
 264 cum duce signa suo nigroque involvis Averno  
 265 Cocytumque jubes tristesque habitare lacunas.  
 266 Te gemini cecinere axes, te maxima tellus  
 267 victorem, cecinit vastis cum fluctibus aequor ;  
 268 nec te hominum fraudes, non avertere nefanda  
 269 crimina, sed laeto spectas mortalia vultu  
 270 dignatasque tuo solaris numine terras.  
 271 Salve, magne opifex caeli, rex maxime divum  
 272 terrarumque hominumque salus, quem sidera, quem sol,  
 273 quem metuunt reges tenebrarum et Tartarus ingens,  
 274 cui late humanum servit genus, omnia solus  
 275 qui regis, omnia amas pariter ; tibi nomina mille,  
 276 mille potestatum, regnorum insignia mille !  
 277 Salve auctor, salve immensi dominator Olympi,  
 278 et nobis felix terrisque labantibus adsis ! "

279 Ingeminant plausum nubes lateque per auras  
 280 discursat vox et caeli convexa resultant.  
 281 Herboso tum forte toro undisonisque sub antris  
 282 venturas tacitoolvebat pectore sortes  
 283 caeruleus rex, humentum generator aquarum  
 284 Jordanes, quem juxta hilari famulantia vultu  
 285 agmina densentur natae, pulcherrima Glauce  
 286 Dotoque Protoque Galenaque Lamprothoeque,  
 287 nudae humero, nudis discincta veste papillis ;  
 288 Callyroe Bryoque Pherusaque Dinameneque  
 289 asphaltisque assueta leves fluitare per undas,  
 290 ipsaque odoratis perfusa liquoribus Anthis,  
 291 Anthis, qua non ulla novos miscere colores  
 292 doctior aut pictis caput exornare coronis ;  
 293 mox Hyale atque Thoe et vultu nitidissima Crene  
 294 Gongisteque Rhoque et candida Limnoria  
 295 et Dryope et virides Botane resoluta capillos,  
 296 ore omnes formosae, albis in vestibus omnes,  
 297 omnes puniceis evinctae crura cothurnis.  
 298 Ipse antro medius pronaque acclinis in urna  
 299 fundit aquas : nitet urna novis variata figuris  
 300 crystallo ex alba et puro perlucida vitro,  
 301 egregium decus et superum mirabile donum.  
 302 Umbrosis hic silva comis densisque virebat  
 303 arboribus ; cervi passim capreaeque fugaces  
 304 aestivum viridi captabant frigus in umbra.  
 305 In medio (quercorum), effulgens fluctibus, amnis  
 306 errabat campo et cursu laeta arva secabat.  
 307 Hic juvenis, fulvis velatus corpora setis,  
 308 stans celso in scopulo regem dominumque deorum  
 309 vorticibus rapidis medioque in fonte lavabat ;  
 310 at viridi in ripa lecti de more ministri  
 311 succincti exspectant pronisque in flumina palmis  
 312 protendunt niveas, caelestia lintea, vestes.  
 313 Ipse pater caelo late manifesta sereno  
 314 signa dabat natoque levem per inane columbam  
 315 insignem radiis mittebat et igne corusco ;  
 316 attonitae circum venerantur numina nymphae,  
 317 et fluviis refugas ad fontem convocat undas.  
 318 Talia caelata genitor dum spectat in urna  
 319 Fatorum ignaros oculosque ad singula volvit  
 320 admirans, videt insolitos erumpere fontes  
 321 ingentemque undare domum cavaque antra repleti  
 322 fluctibus atque novum latices sumpsisse saporem ;  
 323 dumque haeret pavitaturque simul, dum sublevat undis  
 324 muscosum caput et taurino cornua vultu,  
 325 aspicit insuetas late florescere ripas  
 326 claraque per densas discurrere lumina silvas  
 327 pastorum ludo, et laetos ad sidera cantus  
 328 divinasque audit voces et numina passim  
 329 advenisse deum testantia. Protinus ambas  
 330 ad caelum palmas hilaris cum voce tetendit :  
 331 "O maris, o terrae, divumque hominumque repertor,  
 332 quis tua vel magno decreta incognita caelo  
 333 detulit huc audax mediisque abscondit in undis ?  
 334 Ipse mihi haec quondam, memini, dum talia mecum  
 335 saepe agitat repetiturque volens, narrare solebat  
 336 caeruleus Proteus ; mendax si caetera Proteus,

337 non tamen hoc vanas effudit carmine voces :  
 338 "Adveniet tibi, Jordanes, properantibus annis,  
 339 adveniet, mihi crede", inquit, "- certissima caelum  
 340 signa dedit nec me delusum oracula fallunt -  
 341 qui te olim Nili supra septemplex ortus,  
 342 supra Indum et Gangen fontemque binominis Istri  
 343 attollet fama, qui te Tiberique Padoque  
 344 praeferet atque tuos astris aequabit honores.  
 345 Cujus in adventu tristes discedere morbi  
 346 corporibus passim incipient ; jam victa repente  
 347 cessabit, turpes squamas maculasque remittet  
 348 dira lues lacerosque elephas effusus in artus  
 349 ulcera sanguineo sistet manantia tabo.  
 350 Quin et letales (dictu mirabile !) febres  
 351 diffugient jussae possessaque membra relinquent ;  
 352 cedet et infestae violentior ira Dianae,  
 353 ira nocens, quae fulminea velut icta ruina  
 354 corpora cum gemitu ad terram prosternit et igni  
 355 interdum, nunc perdere aqua (miserabile visu !)  
 356 festinat : Stygio nimirum armata veneno  
 357 exsuperat vis et spumas agit ore tumentes.  
 358 Nec jam ultra, longo vires minuente veterno,  
 359 tabificus per operta impune vagabitur hydrops,  
 360 exitio obrepens miserorum atque omnia late  
 361 viscera per varios perdet tumefacta dolores.  
 362 Non alias vincit tam crebra silentia linguae  
 363 abrumpent noctem aut toties tenebrasque priores  
 364 excutient oculi, qui numquam sidera, numquam  
 365 ardentem magni viderunt lampada solis.  
 366 Multa quidem majora fide, sed vera, sed ipsos  
 367 quae teneant spectantum oculos, possum ore referre,  
 368 sed propero : ventura tamen mirabitur aetas.  
 369 Cernere erit claudos passim genua aegra trahentes  
 370 firmato subitos extendere poplite gressus ;  
 371 tum nervis labefacta diuque trementia membra  
 372 (quis credat nisi certa meus mihi cantet Apollo ?)  
 373 restringi et validas cum robore sumere vires ;  
 374 atque alius, raptus jussus consurgere lecto,  
 375 haud mora, prosiliet, passuque in templa citato  
 376 contendens, onus ipse humeris portabit : ibi ingens  
 377 clamor et innumerae circum donaria voces  
 378 spectantis populi et rerum novitate paventis.  
 379 Parte alia exstinctam penitus sensuque carentem  
 380 ad sua jam cernes revocari munera dextram,  
 381 nec minus et tacta compesci veste cruorem  
 382 femineum exsanguisque artus pallentiaque ora  
 383 illicet obstructis calefacta rubescere venis ;  
 384 ipsas quin etiam Furias sub Tartara pelli,  
 385 immanes Erebi Furias, tum fessa levare  
 386 pectora vexatosque malis cruciatibus artus ;  
 387 hinc vacuas late impleri stridoribus auras  
 388 Dirarum frustra clamantium ac saeva trementum  
 389 verbera perque cavas conantum evadere nubes.  
 390 Jam deploratis vitam post funera reddi  
 391 corporibus video, jam maestam incedere pompam  
 392 feralemque anteire tubam ; mox gaudia matrum  
 393 insperata patrumque hilares verso ordine fletus  
 394 et circumfusam populis laetantibus urbem.

395 Huic tu nutantes quoties assurgere montes  
 396 et, mirum, insuetas curvare cacumina silvas  
 397 aspicias, quoties humenti in gramine ripae  
 398 aut solantem aestus aut lenes pectore somnos  
 399 carpentem tenui assuesces mulcere susurro !  
 400 Macte tuis merito ripis, macte omnibus undis ;  
 401 ad te deposito properabunt numina fastu  
 402 nudabuntque sacros artus et carmina dicent  
 403 ad numerum, cum tu felix jam flumine sancto  
 404 auctorem rerum divumque hominumque parentem  
 405 (tantus honos, laus tanta tuo, rex maxime, fonti)  
 406 exutum veste accipies atque hospite tanto  
 407 attonitus trepidas hortabere voce Napaeas :  
 408 "Ite citae, date thura pias adolenda per aras,  
 409 caeruleae comites, viridique sedilia musco  
 410 instruite et vitreis suspendite sarta columnis ;  
 411 purpureas miscete rosas, miscete hiacynthos  
 412 liliaque et pulchro regem conspergite nimbo".  
 413 Tunc nomen late clarum Jordanis ad auras  
 414 attollent montes, Jordanem maxima circum  
 415 aequora, Jordanem silvaeque amnesque sonabunt.  
 416 Illa autem humanis quamvis latura ruinis  
 417 auxilium finemque dies, gratissima quamvis  
 418 urbibus adveniat totumque optanda per orbem,  
 419 fluminibus tamen et nostris felicior undis  
 420 (siqua fides, siqua est veri prudentia Proteo)  
 421 ostendet roseos stellis ridentibus ortus,  
 422 quandoquidem non divitias, non quaeret honores  
 423 ille patris decus ac virtus, mortalia postquam  
 424 membra sibi et fragiles jam sponte induxerit artus.  
 425 Non sceptrum invadet Cyri, non Caspia regna  
 426 diripiet, non exuviis Babylona superbam  
 427 eruet aut alto scandet Capitolia curru  
 428 militibus circum et laeto comitante senatu,  
 429 sed maris undisoni tractus et litora longe  
 430 curva secans, media socios sibi quaeret in acta  
 431 dispersosque mari nautas nudosque colonos  
 432 undarum, sinuosa fretis jactare parantes  
 433 retia vexatas aut jam reparare sagenas  
 434 sollicitos, patris ad solium ac sua tecta vocabit.  
 435 Atque ollis jus omne potestatemque medendi  
 436 adjiciet : pellent morbos dentesque retudent  
 437 vipereos Orcique acies ac monstra fugabunt.  
 438 Quin et custodes foribus radiantis Olympi  
 439 praeficiet, servare aditus et claustra jubebit  
 440 aurea ; queis non ulla queat vis saeva nocere  
 441 Eumenidum durique umbrarum obsistere postes.  
 442 Tum sedes passim emeritis duodena per astra  
 443 instituet : distincta suos de more sequetur  
 444 turba duces ; illi leges et sancta vocatis  
 445 jura dabunt, plausu sociorum atque agmine laeti.  
 446 Felices, qui jam cymba remisque relictis  
 447 alta serenati conscendent culmina caeli !  
 448 Praeterea (si certa fides nec vana futuri  
 449 gaudia cognatas etiam spectabimus undas  
 450 Lenaeos verti in latices : ea prima deum rex  
 451 arcana, hos primos per signa ostendet honores  
 452 accepti late imperii ; mirabitur auctus

453       lympha suos, jussa insuetum spumare capaces  
 454       per pateras largeque novum diffundere nectar  
 455       et mensas hilarare et felices hymenaeos.  
 456       Nec semel ille altum remis evectus in aequor,  
 457       cum jam frustrato socios rediisse labore  
 458       accipiet, praeda ingenti ditabit et udos  
 459       squamigerum strata cumulos exponet in alga.  
 460       Iratos etiam fluctus tumidasque procellas,  
 461       miscentesque imo turbatam gurgite arenam  
 462       jamque superjecto mersuras aequore puppim,  
 463       imperio premet increpitans : cadet arduus undae  
 464       impetus atque audisse minantis jussa putares  
 465       Eurosque Zephyrosque et ovantes turbine Coros.  
 466       Quid loquar, ut gemino numerosas pisce catervas  
 467       munere et exiguo Cereris, miserabile vulgus  
 468       matres atque viros pariter per gramina pascet,  
 469       ut jam bisseis redeant fragmenta canistris ?  
 470       Aut intempesta gradiens ut nocte per altum  
 471       libera substrato ponet vestigia ponto  
 472       vixque undas sicco tanget pede ? Scilicet olli  
 473       adnabunt blandae Nereides ; humida passim  
 474       sternent se freta, tum fundo Neptunus ab imo  
 475       excitus, agnoscet dominum positoque tridente  
 476       cum Phorco Glaucoque et semifero comitatu  
 477       prosiliet trepidusque sacris dabit oscula plantis.  
 478       Sed quid ego exili vectus super alta phaselo  
 479       cuncta sequor memorans ? Non si Parnasia Musae  
 480       antra mihi sacrosque aditus atque aurea paurant  
 481       limina, sufficiam ; non si mihi ferrea centum  
 482       ora sonent centumque aerato e gutture linguae  
 483       vocibus exspument agitantem pectora Phoebum,  
 484       laudatos valeam venturi principis actus  
 485       enumerare novoque amplecti singula cantu".  
 486       Haec senior quondam felici pectore Proteus  
 487       vaticinans, ut forte meo diverterat antro,  
 488       praemonuit : nunc eventus stat signa futuri  
 489       expectare. Nitor roseo sed fulsit ab ortu  
 490       clarior et radiis dux praevia matutinis  
 491       Oceani procul extremo se litore tollit  
 492       exoriens Aurora, sinusque induta rubentes  
 493       ante diem citat auricomos ad frena jugales ;  
 494       et jam consuetis tempus me currere ripis  
 495       undantem magnosque lacus et prata secantem  
 496       vorticibus. Viden ut nostros agit impetus amnes  
 497       Jordanemque vocat tumidarum murmur aquarum ? "  
 498       Sic fatus, confestim humeris circumdat amictus  
 499       insolitos, quos pulchrae udis nevere sub antris  
 500       Naiades molli ducentes stamina musco,  
 501       Sidonioque rudes saturantes murice telas  
 502       aurea consperso variarunt sidera limbo.  
 503       Atque ita se tandem currenti reddidit alveo  
 504       spumeus et motas aspergine miscuit undas.  
 505       Hactenus, o superi, partus tentasse verendos  
 506       sit satis ; optatum poscit me dulcis ad umbram  
 507       Pausilypus, poscunt Neptunia litora et udi  
 508       Tritones Nereusque senex Panopeque Ephyreque  
 509       et Melite quaeque in primis mihi grata ministrat  
 510       otia Musarumque cavas per saxa latebras,



511 Mergillina, novos fundunt ubi citria flores,  
512 citria Medorum sacros referentia lucos.